

Boninus Mombritius

Sanctuarium
seu Vitae Sanctorum
II

1978

Georg Olms Verlag
Hildesheim · New York



Dem Nachdruck liegt das Exemplar der Universitätsbibliothek
Erlangen zugrunde.

Signatur: Thl. VIII, 715

Das Format des Nachdrucks ist kleiner
als das der Vorlage.

Württ.
Landes-
bibliothek
Stuttgart



63/10154-2

Nachdruck der Ausgabe Paris 1910
Printed in Germany
Herstellung: fotokop wilhelm weihert KG, Darmstadt
ISBN 3 487 06529 0

SANCTUARIUM

SEU

VITAE SANCTORUM

TOMUS SECUNDUS

BONINUS MOMBRIUS

SANCTUARIUM

SEU

VITAE SANCTORUM

NOVAM HANC EDITIONEM

CURAVERT DUO

MONACHI SOLESMENSES

TOMUS SECUNDUS

PARISIIS

APUD FONTEMOING ET SOCIOS, EDITORES

4, VIA LE GOFF, 4

M . CM . X

in uini se saporem conuerterunt : aperiat nunc nobis : quis de inuicta tua dextera uiam atque fluminis huius post nos reuocans cursum siccum nobis iter adire concede : quia tibi inquit soli deo est honor et gloria uirtus et imperium in sæcula sæculorum : Cumque respondissent amen . ecce tumidi æquoris fluctus resupinatus omnis post
 5 tergum eorum refluere cœpit : quia non prius uir beatissimus a supplicatione disces-
 serat : ni | si omnis illa multitudo in ultiores ripæ partes aqua cedente se peruenisse
 gauderet . Hæc iam stirps illa paruissima quæ remanserat paganorum audiens ipsum
 iterum remeantem : cum laudibus atque deuotione plenissima excipientes : omnes
 uno momento uniuersa ætas et sexus gratia baptismatis consecrati sunt . Nam et
 10 diuersæ infirmitates ab eo sanari dicuntur : ita ut claudi recipiant gressum : Cæci
 uisum : surdi auditum : et hi qui a spiritibus immundis uexabantur omnes fuerint
 absoluti . his itaque per ordinem atque in ueritate compertis festiuitatem eius duplici
 gaudiorum remuneratione locupletatam cognoui ita : ut cum transitus eius die iduum
 aprilium pro transmigracione ueraciter excolatur : post octo quidem dies id est duode-
 15 cimo calendas maias dispositio uenerabilius adimpletur : quod si quando minime in
 pasca esse contigerit : in his octo diebus pascalis læticia non deerit . Sed hæc non alia
 res fecit : nisi quod episcopi qui ad sancti confessoris exequias interessent longe
 positi uidebantur . hæc interim breuiter ut potuimus tenui sermone perstrinximus .

VITA SANCTAE MARIAE AEGYPTIACAE .

20 Fuit quidam senex in palestinae monasteriis uirtute et uerbo decoratus : qui ex
 ipsis cunabulis monasticis nutritus est moribus Zosimas nomine . Nullus enim existi-
 met cognominationis nomine Zosime me illum dicere Zosimam : qui inter mathema-
 ticos aliquandiu detinebatur : ut pote hæreticus : Nam hic alius atque ille alius . Multum
 enim inter utrumque licet uno appellati sunt uocabulo interfuit . Hic enim Zosimas
 25 Orthodoxus monasticam elegit uitam in quibusdam Palestinae ut dictum est monaste-
 riis : totamque percurrrens patriam conuersatione omnique uerbo abstinentia præcipuus
 reperlus est : simul regulam sibi traditam iuxta eorum certamina infans dum esset
 seruauit . Plura enim adinuenit ex propria natura qualiter subditam spiritui carnem
 faceret . Nam ita fuerat certaminibus idem senex insignis : ut plerique multotiens in
 30 propinquis mona || steriis aliquando : et in longinquis degentibus ad eius occurrerent
 doctrinam : eiusque imitarentur abstinentiam : et ab eo informari atque erudiri
 festinarent . Talis enim fuit senis huius operatio uirtutum : ut mediatorem dei ali-
 quando sacris uerbis nunquam neglexerit . Reficiendo autem : uel a refectione surge-
 gendo opera ab eius manibus non desunt . Dicebat ergo hic Zosimas : quod ex ipsis
 35 matris sinibus in eodem monasterio traditus esset : quinquaginta : et tres ibidem
 gessit annos monasticum cursum perficiens . Post hæc ut retulit insidias patiebatur a
 quibusdam cogitationibus dicens intra se : perfectus sum in omnibus : aliena doctrina
 minus egeo : pulans ne inueniatur in terra quisquam monachus : qui possit quicquam
 nouum tradere : aut ædificare me : quod nescio : aut quæ ego operatus non sim
 40 monastica opera ? uel inueniri potest disertus philosophus : qui sensu uel opere me
 præcellat ? Hæc secum cogitans pater quidam astitit : et ait ad eum : Zosima bene
 quidem in omnibus certus es . optime monasticum cursum perfecisti : ueruntamen
 nullus hominum habet perfectionem . Nam sunt et aliæ salutis uiæ quas suist
 apræhendere : egredere de terra tua et de cognatione tua et de domo patris tui : ut
 45 Habraam ille inter patriarchas opinatissimus et sequere in quoddam monasterium
 iuxta Iordanem flumen positum mea uestigia . Ergo senex sequens præcipientem
 egressus est a monasterio : in quo pusillus creuerat : Cumque peruenisset ad Iorda-
 nem sacratissimum flumen deductus est uoce clamantis in illud monasterium : in quo
 deus iusserat eum uenire : namque atrii regiam pulsauit . Mox ut locutus est : qui-
 50 dam monachus regias custodiens : nunciauit eum abbati . Susceptus ergo ab eo con-
 uersationem atque habitum reuerentiæ eius respiciens humi prostratus : ut monachis
 consuetudo est eum adorauit : Factaque oratione interrogatus ab abbate ita : unde
 coniunxisti frater : et pro qua occasione ad pauperes uenisti senex ? Zosimas res-
 pondit : unde quidem dicere non mihi uidetur esse necessarium : ædificationis causa

aduenio pater. Audiui enim signa laudabilia per quæ possunt animæ deo apro-
 quare. Dixit ad eum abbas : Deus frater qui solus fragilitatem humanam curare
 nouit : ille te atque nos doceat suam diuinam | adimplere uoluntatem : et ea peragere :
 quæ optima sunt . Nam homo hominem ædificare minime potest : nisi unus quisque
 se recipiendo et operando quæ bona sunt : deum sibi propinquum faciat suis bonis
 operibus sociando . Tamen quia Christi caritas te uidere nostram senum paupertatem
 inuitauit : commane nobiscum : si per hoc ad nos coniungere festinasti : simulque
 nos satiabit Christi dei gratia idem pastor bonus : qui tradidit animam suam pro
 nostra redemptione uocauitque oues suas nominatim. Hoc dum audiret Zosimas
 rursus homo faciem inclinauit. Orantes pariter celebrata oratione dixerunt amen .
 Dum autem in eodem monasterio habitaret . Vidit illic patres uirtutibus et operibus
 coruscantes et spiritu feruentes incessabiliter psallentes stantes per totam noctem ad
 uigilias manu operantes : ex ore eorum psalmi non desinebant : stultum uerbum ab
 eis non procedebat : sæcularia negotia : uel causarum curæ ad eos minime pertine-
 bant . Annuus redditus uel nomen eorum nec cognitum habebant[†] : sed unum tantum
 erat eis omnibus arduum uotum : ut singuli se ipsos mortuos facerent corpore : ut
 possent sæcularia euadere . Cibis uero illis erant spiritalia eloquia . Ministrabant
 autem corpori : quæ necessaria erant panem tantum uel aquam : ut absisteret deo
 referre gloriam inuicem per caritatem . Hæc diuina opera dum uideret Zosimas ædifi-
 ficatus est ualde proficiens in deitatis diuinitate semper augmenti proprii cursu
 sibi cooperantis in uera diuina potentia . Plurimis autem transactis diebus appropin-
 quauit tempus dierum sanctorum ieiuniorum præparantes se purificationi dominicæ
 passionis saluatoris nostri . Ianua autem monasterii nullomodo patefiebat . Sed
 semper clausa manens ad diuinitatis opera monachis quietam præstabat uitam . Nec
 licebat eam patefieri : nisi forsitan aliquis monachorum pro aliqua re necessaria
 aduenisset . Desertus enim erat locus : et non solum uiam transeuntibus sed et propin-
 quis incognitus : quia talis regula ab initio custodiebatur : et propterea deus
 Zosimam ad hoc perduxit monasterium . Dominico die prima ieiunii hebdomade
 omnes iusta consuetudinem monachi uocabantur . sancta dei mysteria secundum
 morem celebrare christianorum : et unus || quisque eorum sanctissimum atque uiuifi-
 cans corpus domini suscipiebat : paruumque sumentes cibum congregabantur omnes
 ad orationem solemnem studiose . Dum autem complerent orationem flectentes
 genua senes se inuicem osculabantur . Deinde omnes amplexantes et pacem dantes
 abbati . Rogabant sibi ab eo orationem futuri certaminis eorum auxiliatricem fieri .
 his peractis monasterii aperiuntur regiæ : simulque psallentes et dicentes : Dominus
 defensor uitæ meæ a quo trepidabo : et cætera ipsius psalmi . egredientes omnes
 unus forsitan tantum uel duo custodes in monasterio remanebant : qui infra reposita
 custodirent : quia nec erat : quod a furibus eriperetur . Sed ob hoc maxime prædicti
 custodes ibidem relinquæbantur : ne oratorium absque celebratione solemnî postpo-
 neretur . Singuli autem eorum secum deferebant uitæ tantum necessaria quæque pote-
 rant : aliqui panis parum ad fragilitatem corporis sustentandam : alii autem caricas :
 alii uero dactylos : cæteri autem legumina aquis infusa : alii autem nihil nisi proprium
 corpus et pallium quo uestiebantur : nutriebantur uero quotiens natura compellebat
 hærbis : quæ per desertum nascebantur . Igitur regula propria sibi nouiter : quisque
 eorum certabat : taleque habebant immutabile ignorare alium : quale alius operaretur
 certamen : eo quod Iordanem mox derelinquentes seorsum ab inuicem longe descen-
 dentes ciuitatem et habitationem haberent desertum : nullusque alii iungebatur . Sed
 si forsitan unus eorum alium esse longe uenientem respiceret : euestigio discedens
 de proposita itineris uia ad aliam se declinabat partem . Ita solitariam peragebant
 uitam semper psalendo et deo gratias agendo opportunum gustantes cibum . Ita
 omnes dies ieiunii complentes remeabant in monasterium dominico die præcedente
 hebdomadam[†] resurrectionis domini et saluatoris nostri : quam diem festum pal-
 marum sancta consueuit celebrare ecclesia : ferens unusquisque eorum fructum
 laboris propriæ conscientia ad cognoscendum se ipsum qualiter operatus esset :
 qualesque[†] seminauerit fructus . Nulli uero erat solitum interrogare proximum suum :
 quomodo : uel qualiter præsens certamen exercuerit : quia huiusmodi in monasterio
 regula tradita fuerat : Vt unusquisque eorum habitando desertum : deo tantummodo
 certaminis sui cursum demon | straret : a nullo hominum glorificari desyderans

nullam quærens transitoriam et uanam gloriam aut humanos fauores. Sed spiritualia operando : Carnalia atque terrena derelinquendo cælestia oblineret . Nam in monasterio hominum fructuosis operibus damnus acquiritur . Tunc uero Zosimas iuxta consuetam monasterii regulam pertransiuit Iordanem parum secum deferens cibi ad sustentationem corporis et pannum quod induebatur : et quidem regulam adimplebat pertransiendo heremum. Tempore autem reflectionis edebat cibum necessarium pro natura corporis . Soporem uero parum in terra iacens capiebat modicum gustando : ubi eum diei finis occupabat : atque iterum diluculo iter suum perambulabat incensanter augumentando cursum habens desyderium suum pertransire heremum : sperans aliquem tandem reperire patrem in deserto : qui eum posset ædificare iuxta eius desyderium . Currebat igitur securus optimam uiam : ut ei promissum fuerat : festinanterque currebat : uiginti ergo dierum peragens iter facta hora quasi sexta parum se abstinuit ab itineris labore : eleuatisque oculis ad orientem consuetam sibi celebrabat orationem . Solebat enim statutis diei temporibus : idest tertia sexta nonaque abstinere a sui itineris cursu orationis causa : Eleuatisque ad superna oculis respiciens a dextris^t : uidit in quodam loco stare quasi umbraculum humani corporis . Stupefactus ac turbatus ualde existimabat phantasma esse : quod uiderat : Ft^t ter signaculum sibi redemptionis sanctæ crucis faciens : et completa oratione uidit quandam in parte meridiana ambulantem nudo nigroque corpore ex incendio solis exustam . Capilli autem capitia eius ut lana candida atque parui usque ad colum descendentes . Hoc cum uideret Zosimas ammiratione repletus est : et cum magno gaudio cœpit currere ad eam partem : qua prædicta imago uidebatur : Nam et illa : quæ a Zosima uidebatur inefabili exultauit gaudio et læticia : quoniam uidebat : quod multo annorum spatio minime respexerat humanæ naturæ speciem : nec cuiuslibet animalis uel uolucris figuram . Mirabatur ergo Zosimas : quæ et qualis esset : quam uiderat : existimans quod magnam uiderat personam. Dum illa uideret Zosimam || de longe ad se appropinquantem : cœpit concite fugere in interiora deserti. Zosimas uero contemnens senectutis debilitatem fastigiumque itineris concito eam gradu sequæbatur . Illa magis magisque fugam petebat . Erat autem Zosimæ cursus uelocior : et paulatim appropinquabat se fugienti : proximus autem ei factus : ut etiam uox posset audiri : cœpit uociferans Zosimas tales emittere uoces cum lachrymis : ut quid me fugis hominem senem et peccatorem serue dei uiui ? Sustine me : quæcumque es . Coniuro te per deum : pro cuius amore hanc habitas heremum : et recipe me debilem atque senem indignum. Coniuro te per illum : in quo habes pro tantis laboribus bonam spem æternæ retributionis . colloquere mecum dulcedinis ac suauitatis uerba : et noli me derelinquære sine mutua colloctione : ut me denuo renoues per eum : qui tecum habitat . Hæc Zosima cum lachrymis rogante uenerunt utrique currentes in quendam locum : qui locus ita uidebatur : quasi aliquando torrens inde cursum habuisset . positio autem loci illius sic uidebatur : coniungentibus autem eis : ad prænominatum locum præcedens illa quæ fugiebat : ante faciem Zosimæ descendit : et rursus per aliam partem loci illius uidebatur quasi torrentis ascensus : Zosimas uero nimium fatigatus minime potuit currere . Sed magis astans ex una parte : augens suis lachrymis lachrymas et sletibus sletus rogabat ædificationis sibi impendi sermonem . Mox illa quæ fugam prius petierat : talem emisit uocem : abba Zosima quid me persequeris ? Ignosce mihi peto : quia minime possum conuertere faciem meam ad te : eo quod mulier sum nuda . Sed pallium quo indutus es porrige mihi : ut corporis mei uerecondiam contegat : ueniamque ad te : et accipiam tuas orationes . Tunc stupefactus atque turbatus est : eo quod audisset se uocari ex nomine. Sapientia autem repletus diuinaque refulgens gratia intellexit : quod non eum nominatim uocare potuisset : quem nunquam uiderat uel audierat : nisi quia superna prouidentia ei reuelauerat : Statimque expolians se pallio : quo induebatur uetustissimo iactauit illi auersa facie . Illa uero sumens illud cinxit se : ut potuit : et cohoperuit partem necessariam sui corporis . Respiciensque Zosimam ait ad eum : | Quid tibi fuit uisum abba peccatricem uidere mulierem ? Aut quid quærens cognoscere tot tibi imposuisti labores ? Ille uero genua flectens obseruabat : ut benedictionem ab ea acciperet : Illaque humo prostrata adorabat eum . Erant uero utrique in terra prostrati inuicem se rogantes : ut alterutrum initium facerent benedictionis . Nullaque penitus audiebatur uox : Nisi tantum benedic me : benedic . Et cum diu in hoc per-

sisterent : Respondit mulier Zosimæ dicens : Abba Zosima tibi magis concessum est benedicere : atque orare : eo quod sacro præbyterii fungaris officio . Plurimis enim annis sacris assistens altaribus mentem sanctis orationibus bene replesti . Hæc audiens Zosimas amplius territus atque stupens ait : Certe uideo o mater : quod omni spiritali gratia sis repleta : quoniam nomen et officium præbyterii designasti in me : quem nunquam uidisti . Spiritalis enim gratia non propter ordinem uel dignitatem tribuitur sed magis ex bonis moribus actibusque acquiritur : per deum te coniuro : ut prius a te benedictionem accipiam : tuaque oratione perfrui merear : Dixitque mulier : Benedictus dominus redemptor animarum nostrarum. Zosimas respondit : amen : Moxque erectis ambobus a terra ait ad senem mulier : Rogo te pater : quid ad me peccatricem coniungere desyderasti : aut quid nudam et ab omni bono opere infirmam cernere uoluisti mulierem ? Zosimas respondit : Non hoc meæ uoluntatis fuit sed diuinæ dispensationis munus nos fecit utrosque uidere . Respondit mulier sicut asseris per dispensationem diuinam hoc actum est . Rogo te pater ait : mihi conuersationem humani generis dicas : et quomodo sint reges uel stabilitas Imperatorum aut pastores ecclesiarum enarres mihi . Zosimas uero respondens ait ad eam : Multifaria relinquens : breui sermone dicam tibi mater : quod dominus Christus ac redemptor noster omni populo suo firmam pacem est dignatus concedere : Sed rogo te : ut præceris dominum : pro totius sæculi instabilitate : simulque pro meis peccatis . Respondit ad eum mulier : Opportunum est et ualde necessarium tibi abba Zosima : qui habitu : et mente et sacerdotali ornaris officio pro omnibus atque pro me peccatrice orare dominum : qui in hoc uocatus es : Tamen propter præceptionem tuam obedio cum omni uirtute : et orabo deum licet peccatrix : et eleuans oculos ad orientem : et manus erigens ad cælos cœpit silenter orare ita : ut tantum labia eius mouerentur : et uox penitus non audiretur . unde zosimas nullum uerbum orationis potuit intelligere . Sed hoc deum sibi testem adhibens dicebat : quia dum prolixam . mulier faceret orationem : uidit eam in loco in quo stabat orans a terra suspensam in aere quasi unius cubiti mensura : qua uisione magno compræssus timore : cadensque in terram cœpit sudoribus inundari : stuporibus compræhendi : admirationibus æstuarè : nihilque aliud poterat dicere : nisi Kirieleyson . Dum hæc agerentur : Cœpit senex magna cum dubietate anhelare : ne forte spiritus esset phantasias : et fingendo orationem faceret . Mox conuersa mulier leuauit abbatem a terra : et ait ad eum : Abba quid te conturbant cogitationes tuæ in tantum : ut scandalizatus sis : existimans me esse immundum spiritum orationem simulantem . Satisfaciat tibi dominus : Peccatrix sum mulier : tamen sancto domini nostri Iesu Christi baptismo induta sum : et non sum spiritus : Sed magis terra et cinis : nullaque habeo maligni spiritus opera . Et hæc dicens signo redemptionis sanctæ crucis frontem oculos labiaque ac pectus sibi depingens dixit : Deus omnipotens abba Zosima eripiat nos ab iniquo atque maligno antiquo illo hoste : qui aduersatur humano generi : et subueniat nobis : quia multa aduersum nos commouet certamina . Audiens hæc senex proiecit se in terram : et compræhendens pedes eius dicebat cum lachrymis : Coniuro te per christum dominum et deum nostrum : qui nasci pro hominum redemptione de uirgine dignatus est : propter quem hanc nuditatem sustines : propter quem carnes tuas ita afflixisti : ne abscondas a seruo tuo : quæ sis : uel unde : aut quando uel quomodo habitandum hanc heremum aduenisti : Sed omnia mihi minutius enarrare digneris : ut manifesta facias dei magna : et mirabilia opera : quæ mundus non est dignus agnoscere : quia absconsa sapientia : et thesaurus occultus : quæ utilitas in utrisque ? Dicit mihi igitur omnia per deum omnipotentem te deprecor : quia non pro humana gloria a me hoc fit : sed ut mihi peccatori et immerito ædificationis cau / sa omnia patefacias . Credo enim in christo : Cui animam obtulisti : quia ideo ad hanc peruenisti heremum : ut glorificentur per te opera dei : qua nullus nostrum perscrutari potest abyssum iudiciorum dei . Si ergo deo nostro minime placuisset te mihi fieri manifestam : tuosque labores quos in hanc heremum pertulisti reuelari : nequaquam te mihi demonstrari permetteret : nec me tantos pertulisse pateretur labores : Dum hæc et his similia diceret abbas Zosimas : mulier a terra eum eleuans dixit ei : Heu me turpe quidem et omnino pudendum mihi uidetur abba Zosima enarrare tibi uerecondias operum meorum . Sed peto : ut ueniam mihi concedas dicendi : Nudam me uidisti corpore . nudos tibi faciam actus meos : ut scias : quia

tanti operis obprobrium non gloriam aliquam quærens oculabam. Ve mihi : nam per quæ mea opera habui gloriari : dum fuissem uas electionis diaboli ? Scio enim : quod si meorum initium narrationum fecero : fugam petiturus es : ac si fugiat quis a serpente : nec poteris auribus percipere : quanta uel qualia peregi facinora . Tamen

5 dicam omnia : nec quicquam tibi occultum faciam . Sed peto : et precor te pater : ut indesmenter^t pro mea orare miseria debeas : ut tuis intercessionibus merear inuenire misericordiam in illo examinis die . Tunc senex extensis manibus copiosius fundebat lachrymas . Mulier autem cœpit suam narrationem explanare dicens : Ego frater patriam habui egyptum : et dum mei adhuc superessent parentes : duodecimo anno

10 ætatis relinquens eos : Alexandriam petii ciuitatem : ubi qualiter ab initio corpus meum corruptioni tradiderim : qualiter ue iugiter insatiabili libidinum fluxui deseruerim : sermonibus enarrare minime possum . Breuiter autem abba tibi dicam meâ fornicationis iniquitatem : Decem et septem et amplius fere annos publico astans loco pessimum mei corporis negotium exercebam : tradens uolentibus^t irrecusabiliter

15 carnis meâ pudorem : repellens a me omne acquisitionis lucrum . Vnum tantum mihi erat lucrum luxuriosam acquirere uitam. Nam ludus et ebrietatum insomnietates mihi pro thesauris uidebantur . Multotiens enim oblatum mihi lucrum recusabam : ut amplius requirem pessimi mei desyderii amicos : et hoc non quasi ut locuples : sed ege || state prom^t diuitiis reputabam . Vnus uero mihi : et magnus erat

20 ardor desyderii . protellatis conuiuuiis lusibus ac iocis insistere : et diebus ac noctibus pessimam corporalis naturæ iniuriam irrogare . huiusmodi enim obscenis ac maculosis operibus meâ iuuentutis expendi uitam . Aestiuo igitur tempore contigit uidere me turbam populi uirorum ægyptiorum et aliorum libye regionis currentium iuxta mamare^t . Tunc interrogauit quendam proxime mihi astantem uirum : ubi

25 omnes illi festinarent : aut quis illis esset itineris cursus . Ille autem respondens ait mihi : In hierosolymam hii omnes festinant ascendere crucis ac redemptionis et ascensionis festum : post paucos dies desyderantes uidere . Tunc respondi ego uiro illi hæc mihi narranti : per deum te coniuro frater : si maluero cum eis comitari . dabunt mihi licentiam simul itineris facere cursum ? Ille uero respondens ait : Si

30 nabulum tuum dederis : et impensam habueris . nullus eorum prohibere poterit . Dixitque ad eum : uere pater nabulum : et impensam minime habeo . Ascendam autem in unam eorum nauiculam : et crede mihi nutrient me etiam si uoluerit . Nam corpus meum erit illis pro nabulo . Ideo autem cum eis comitari festinabam : peto ueniam abba : ut haberem amicos pessimos . et sordidissime uoluptatis . Ego

35 quidem abba Zosima rogaueram te : ut non mihi imponeres : meos tibi ineffabiles dicerem pudores : quia undique tremore concutitur . Viuit dominus quod polluuntur in eis sermonibus : non solum aures tuæ : sed ipse aer : Tunc Zosimas fortiter lachrymatus dixit : loquere per deum . Coniuro te : mecum loquere : ne prætermittas cœptam enarrationis edificationem . Illa uero cœpit explanare ita dicens : uir ille :

40 qui a me interrogatus fuerat : quo turba illa progrediretur : Audiens meos sermones turpissimos surridens abiit . Ego uero uelociter ad mare cursum dirigens : uidi iuuenes in littore maris stances^t numero decem lusum et motionem uanæ iuuentutis habentes : et expectabant sodales suos nauigatores : Nam plurimi iam in nauiculam ascenderant . Ego autem importune in medio eorum astiti dicens : Ducite : et me

45 uobiscum : quo ambulaturi estis : et nequaquam uobis | uidebor inutillis , ducentes autem me secum ascendi cum eis in nauiculam : sustinebant autem comites : qui et festinanter coniunxerunt . Tunc nauclerus terræ funibus ligatam nauiculam solui præcepit : et eleuatis uellis exinde nostri nauigii fiebat initium . Tota itaque nauigatio erat mihi lusus et ebrietas et adulteria et ridicula ac turpia uerba uel his

50 similia : quæ lingua tibi explanare minime potest : nec patiuntur aures audire eos quidem sermones : quos in eadem nauicula pessima locuta sum : a quibus maliciæ operibus nec terror maris nec procellarum fluctus me corripiebant . Sed magis ac si per terram iter agens : ita augmentum mihi uitæ prodigiosæ crescebat : ut non solum impudicos sed etiam honestos uiros ad meam miseriam inuitarem . Eratque animarum eorum perditio et lacus eorum erat mea crudelissima caro . Vnde semper

55 ammirans stupeo : quomodo meas sustinuerit mare iniquitates : aut quomodo terra os suum non aperuit : et uiuam me infernus non absorbit : Sed ut uideo misericors deus meam substinuit poenitentiam : quia non delectatur super mortem peccatoris :

sed magis manet longanimis pœnitentiam expectando . Sic enim cum summo festinationis studio appulimus hierosolymnæ . Et quantos dies ante festiuitatem crucis in ciuitatem fecimus similia operata sum : et ut uerius dicam præteritis faciebam deteriora amplius insaniens in multorum hierosolymorum uirorum perditionem . Cum appropinquasset autem sanctæ crucis et ascensionis festiuitas : ego ut mihi erat 5
consuetudo gyrabam totam illam ciuitatem animas innocentium uenando . Videbam autem diluculo homines ad ecclesiam concurrentes et ego cum currentibus comitari cœpi : perueniente simul cum eis usque ad regias atrii : et cum appropinquasset hora ascensionis diuine et adorandæ crucis : ego repellebar iterum atque iterum . et non permittebar ingredi cum turba . Volens autem me iungere regiis per quas in sacrum 10
templum ingressus erat per quas et salubris sanctæ crucis ascensio monstrabatur . uix cum magno sætu cum labore appropinquabam . Ego miserabilis quando lumina regiæ pedibus calcabam : alii omnes facilius || ingrediebantur me autem diuina quædam uirtus prohibens uetabat ingredi ianuas regias : et iterato repellebar atque minabar in tantum : ut sola in atrii astans inuenirer . Existimans igitur quod ex 15
fœminea debilitate hoc mihi contingeret : iteravi cum aliis . Sed amplius ab ingressione repellebar cupiens introitum adipisci . Laborabam enim inanis : et uana mihi fiebat festinatio : dum quando pedem in limite ponerem : alios templum infra suscipiebat nullo impediante . me uero solam nullo modo recipiebat et tanquam militaris acies esse me insistens et ingredi non sinebat : sed iterata uice foras ad atrium repellebar . 20
Dum hoc mihi frequenter contingeret defecta uiribus ac dissoluta membris ita ut nec standi mihi uirtus sustineret postpositis omnibus in quendam angulum templi seorsum recessi tractans mecum unde hoc mihi aduenisset : eo quod templum minime ingredi potuissem . Tandem aliquando intellexi : unde talis aduenerit contrarietas adorandi mihi lignum uiuificationis sanctæ crucis . Salutis enim uerbum patefecerat 25
cordis mei oculos reuelans mihi ob sordes operum meorum ingressum templi non promereri . Tunc cœpi miserabilis flære pectusque manibus tundere : et ex alto cordis infinita grauitate dare suspiria : lachrymasque affluenter effundere . Respicens autem de loco in quo stabam : uidi seorsum fixam imaginem uultum habentem sanctæ dei genitricis : ad quam ex toto cordis affectu dixi : Sancta dei genitrix uirgo : quæ 30
dominum uerbo incarnatum genuisti : scio quod immerita sum tantis polluta sordibus et tantis luxuriis repleta respicere imaginem tuam sed certa sum : quod ideo dominus quem genuisti homo dignatus est fieri : ut peccatores uocaret ad pœnitentiam . Auxiliare ergo mihi sancta dei genitrix : quia nullum habeo solatium et præcipe me regias sanctæ introyre ecclesiæ . Obsecro te domina : Ut communicare me facias . Videntibus sanctæ crucis uenerabile lignum : in quo carne 35
affixus est deus : quem tu sancta et immaculata genuisti uirgo : qui suum pro redemptione totius mundi effudit sanguinem . Iube itaque domina pateferi mihi clausas regias meum adimpleri desyderium adorandi sanctissimum lignum crucis . deduc me coram domino : quem genuisti : quod denuo carnem istam sordibus | 40
et pessimis non maculabo operibus . sed mox ut me lignum sanctæ crucis adorare concesseris : renuntiabo sæculo et omnibus quæ sunt sæculi : et uadam quo mihi præceperis : ac demonstra ueris salutis uiam : in quam tu deduxisti . Hæc dum dicere satisfacere menti mæ : quod sancta dei genitrix posset pro me omnia obtinere . Derelinquens ergo statim locum : in quo orabam : miscui me inter eos : qui templum 45
ingrediebantur : nullusque repertus est : qui me foris repelleret : sed magis ut unda maris ita me turba miro impellebat : ut aprominquarem sancto loco : quem prius nec pedibus calcare poteram . Tunc ex nimio gaudio appræhendit me pauor : dum me uiderem locis astare sanctis : quo prius iniquitas mea me ingredi prohibebat . Nam absque ullo labore adorauit lignum sanctæ crucis : et sensi ibi suauitatem odoris : et 50
merui uidere omnia sancta dei misteria : Et regrediens ad illam quæ me fide deduxerat festinabam . appropinquans igitur ad locum in quo promissionem fide dictionis sanctæ dei genitricis feceram . Flectens genua his cœpi sermonibus loqui : Tu mihi domina miserta es : measque preces non repulisti : per te merui uidere gloriam dei : quam peccatores respicere non possunt . Per te glorificauit dominum peccatorum 55
suscipientem pœnitentiam . Quid amplius quæram : quam quod merui uidere diuina mirabilia . Appropinquauit o domina tempus : in quo mea debeat suppleri promissio . Nunc ergo quo tibi placet : dirige me : et demonstra mihi pœnitenti uiam salutis .

Dum hæc dicerem : audita est uox dicentis : Si Iordanem transieris saluaberis : et bonam Inuenies requiem . Ergo dum talem audissem uocem : credens eam propter me illa dixisse : eleuau uocem cum lachrymis : et ita dixi : sanctæ dei genitrici : domina mea ne me derelinquas : neque deseras : sed iugiter custodiens tuere : ubi tu uis
 5 me ire : Et hæc dicens egressa sum de terris templi : et uidens me quidam senex obtulit mihi pro eleimosyna tria minuta dicens : Suscipe mater : Ex quibus minutis comparauit tres panes : quos mecum pro benedictione in uia detuli : Interrogauique uirum illum a quo panes emeram : ubi uel quæ esset uia uolentibus ad flumen Iordanis ambulare : qui ostendit mihi portam ciuitatis : per quam itur ad || Iordanem :
 10 exinde uero egrediens initium uiaë cum lachrymis faciebam . Erat autem hora quasi tertia : quando lignum crucis adorauit : et ante solis occasum appropinquauit oraculum sancti Iohannisbaptistæ super ripam Iordanis positum . Mox faciem uel pedes ex ipsius aqua fluminis laui : et sacro sancta mysteria merui in eodem sancti Iohannisbaptistæ percipere monasterio : Ibiq; panem dimidium edens : bibensque aquam
 15 Iordanis terræ me collocaui . Alia uero die ascendens nauiculam transfretauit Iordanem enixius precata sanctam et immaculatam dei genitricem : ut mihi uiam salutis sicut ei placeret ostenderet : Peruenique in heremum et ex illo tempore usque nunc semper elongauit homines fugieudo^t : habitans in deserto expectansque dominum meum : qui saluos facit se ad eum conuertentes . Zosimas autem ait ad eam : Quot anni sunt
 20 domina mea : ex quo hanc heremum habitas ? Respondit : quadraginta et septem ut existimo anni sunt : ex quo sanctam egressa sum ciuitatem . Dixit ei Zosimas : quid inueneras : aut inuenis ciborum : ex quo hoc desertum habitare cœpisti ? Mulier respondit : duos quidem panes et dimidium mecum ferebam : quando Iordanem transiui qui per tempora quasi lapides duri facti sunt . Ex his modicum comedendo aliquot
 25 transegi annos . Dixit ad eam Zosimas : Et sic absque ullo labore tot annorum spatia euasisti : uel subita conuersationis mutatio non tibi incussit labores ? Responditque mulier : Causam me nunc interrogasti abba Zosima habentem terrorem . Nam si uolueris recordari nunc pericula : que sustinui atque insidias cogitationum : timeo ne rursus mihi renouentur . Zosimas dixit ad eam : nihil derelinquas domina mea : quod
 30 non mihi patefacias : sed semel te suppliciter adiurauit : ut omnia me minutius doceas : Illaque respondit : Crede mihi abba Zosima : quod decem et septem annos in hoc deserto cum immansuetis cogitationum bestis transegi carnalibus reluctans cogitationibus . Dum recordabar affluentiaë præteritorum ciborum : desyderabam carnes uel pisces quos antea in ægipto comederam . Delectabar potu uini insatiabiliter :
 35 multo enim uino utebar : dum fuissem in sæculo . Delectabant me nefaria cantica dæmonum : quæ antea didiceram : | sed mox lachrymas fundebam : et manibus pectus uulnerabam Reducebam ad memoriam illam quam mihi fide uictricem feceram : dum hanc ingrederer heremum : et quasi ante dei genitricis astarem imaginem : ita eam lachrymabiliter orabam : ut amoueret sordidas ac pessimas cogitationes mentis meæ :
 40 et dum plurimas funderem lachrymas : undique mihi refulgentem uidebam lucem : atque claritatis circundabar choro . Rursum mihi insidiabant fornicationum mearum cogitationes : quæ quasi ignis uæhemens ita deuastabant uiscera cordis mei impellentes me ad perniciosa desyderia . Dum uero talia mihi certamina temptationum indesinenter insisterent : ad consueta orationis recurrebam arma terræ me proiciens :
 45 eamque lachrymis inundans eam mihi orabam succurrere . Dicerem ne postmodum : ut præuaricatrix dampnationis extremæ luerem pœnas . Non autem prius eleuabam faciem meam a terra : donec totum diei noctisque fuisset consumatum spatium : et dulcissimi illius splendoris fuissem lumine circumdata : qui totam illam cogitationum temptationem fugaret : sicque sanctæ fide ductricis meæ protecta solatio transegi
 50 decem et septem annorum spatia : innumera euadens pericula : et ex illo tempore usque hactenus auxiliatrix mea præsto mihi inuenitur : quæ ubique et undique uigilans custodit me . Dixit ad eam Zosimas : Nunquid eguisti ulterius uictu atque uestimento ? Illa respondit : Illis ut dixeram expensis panibus per decem et septem annos comedebam hærbas : quæ in deserto inueniebantur . uestimenta autem mea cum quibus
 55 Iordanem transgressa sum diruta atque putrefacta sunt . Nam ualde pluuiis hyemalibus uel æstiuis ardoribus^t tribulata sum . Ab illo enim tempore usque nunc diuina miseribordia^t eripuit corpus et animam meam a cunctis periculis : Fitque mihi recordanti quanta mala quantaque pericula per diuinam euaserim gratiam magna læticia et

spes crescit salutis . Cibus potusque ac uestimentum mihi est uerbum dei : quoniam non in solo pane uiuit homo sed in omni uerbo : quod procedit ex ore dei . Nam dicit scriptura : non habentes indumentum induuntur lapide pro uestimento : qui se uesti-
 mento expoliauerunt iniquitatis . Hæc audiens Zosimas quod ex testimoniis diuinarum
 scripturarum || locuta esset ait ad eam : O domina psalmos aut alios diuinæ scripturæ 5
 libros legebas ? Ait ad eum mulier : Crede mihi homo dei : quia non uidi alium homi-
 nem ex eo tempore : quo transfretauit Iordanem nisi tantum tuam præsentiam : sed nūc
 bestiam qualemcunque uel animal : litteras uero nunquam didici : neque aliquando
 psalentem aut legentem audiui : sed uerbum dei semper uiuens omnem me docuit
 scientiam . Ecce explanauit tibi mea opera o pater : sed sicut antea rogauit : et nunc
 rogo te : atque coniuro per dei uerbum incarnatum : incessabiliter digneris orare pro
 me peccatrice apud dominum . Dum hec dixisset mulier compleuit uniuersos sermones
 suos : flectens uero senex genua in terram : uocem cum lachrymis eleuauit dicens :
 Benedictus dominus : qui facit mirabilia magna gloriosa atque terribilia : quorum non
 est numerus . Benedictus es domine deus omnipotens : qui mihi peccatorum reuelasti 15
 omnia bona : quæ donare dignatus es timentibus te : quia nunquam derelinquis quæ-
 rentes te . Illa uero eleuans senem a terra dicebat : hæc omnia quæ audisti a me
 homo dei per saluatorem te coniuro Christum dominum : nulli ea loquaris : quousque
 deus me de terra assumi iusserit . Nunc igitur uade in pace : et iterum uenturo anno
 uidebis me : et uenies ad me dei gratia te comitante . Rogo autem te per dominum : 20
 ut in sanctis ieiuniis futuro anno minime transeas Iordanem iuxta consuetudinem
 monasterii . Audiens autem Zosimas : quod et solemnem regulam monasterii ei nunti-
 tasset : ammirans nihil aliud dicebat : nisi gloria tibi domine : qui magis præstas
 diligentibus te . Illa autem ait ad eum : Habita : ut dixi in monasterio : et non egre-
 diaris iuxta regulam quia non permitetur tibi : et sanctæ uesperæ cænæ dominicæ 25
 sacrosanctum corpus domini nostri Iesu Christi in uase mundissimo pone : afferque
 mihi expectans me in illa parte Iordanis iuxta locum : ubi me ueniens suscipiam uiu-
 ificationis mysteria : quia ab illa die qua ad oratorium sancti Iohannis ueniens prius-
 quam transirem Iordanem communicauit usque nunc minime sacri corporis uel sangui-
 nis domini nostri Iesu Christi percepi misterium . Sed me peccatricem deprecantem 30
 | te o pater ne despicias : mihi quoque sacra misteria per quæ dominus suos disci-
 pulos illius sacratissimæ cænæ participes fecit deferas . Abbatem autem Iohannem
 primum monasterii in quo habitare uideris commune dicens : Cautior esto frater mi :
 et sollicitus erga congregationem tuam : eo quod aliqui ibidem operantur : quæ
 necessaria sunt emendari . hæc dicens : adiecit : Ora pro me domine pater : petiitque 35
 interiora deserti . Abbas autem Zosimas flectens genua osculabatur terram : in qua
 sancta dei pedibus steterat : et glorificans dominum regressus est plenus animæ gau-
 dio et læticia spiritus collaudans : et benedicens dominum Iesum christum remeansque
 de heremo eodem die ad proprium rediit monasterium : quo soliti erant monachi
 remeare : Et toto illo anno siluit : nullum alicui uerbum dicens de eis : quæ uiderat . 40
 delapso autem anni circulo superuenientibus diebus in ieiunii prima dominicorum die
 post sollempnem orationem alii omnes iuxta regulam egredientes psallebant . Zosimas
 autem leuibis tractus febribus egredi a monasterio minime potuit . Sicque recordatus
 est uerborum sanctæ mulieris : quibus dixerat : quia si egredi de monasterio uolueris :
 minime tibi licebit : Transactis autem paucis diebus confortatus ex egritudine debebat 45
 in monasterio . Appropinquante uero die sacratissimo cænæ dominicæ festinans præ-
 ceptis parere sanctæ mulieris : detulit secum in paruo calice sacramenta corporis et
 sanguinis domini nostri Iesu Christi : sumens et secum aliquot dactilos caricas len-
 temque aqua infusa : et facto uespere peruenit ad ripam Iordanis fluminis expectans
 præsentiam sanctæ mulieris : quæ quidem dum moram faceret : Zosimas respiciebat 50
 ad desertum expectans cernere : quam desyderabat dicens in semetipsum : forsitan
 mea peccata prohibuerunt eam ad me uenire : aut certe præcessit me in hunc locum :
 me autem non inueniens remeauit . Hæc dum cum summo cordis mærore diceret
 plorans : in cælumque eleuans oculos dominum his uerbis rogabat : Domine deus rex
 omnium creaturarum ne fraudes me uidere iterum eam : quam cernere desydero : 55
 neque uacuum me derelinquas : et his dictis cœpit cogitans dicere : Quid faciam si
 sancta uenerit mulier : eo quod nauicula minime reperitur : qualiter hunc Iordanem ||
 possit transire : ut ad me ueniat peccatorem . Væ mihi indigno quomodo fraudatus

sum tanti desyderii bonitate ? Dum hæc tacitus diceret : ecce sancta affuit mulier :
 stantemque super ripa fluminis uidit eam Zosimas : et præ gaudio exultabat glorificans
 dominum : cogitansque quonam pacto posset mulier Iordanem transire respexit et
 uidit eam signaculum sanctæ crucis facientem super aquis Iordanis pedibusque super
 5 eas ambulare : et cœpit ipse sibi occurrere festinanter . Ipse autem ut uidit huiusmodi
 miraculum : pronus in terram adorare eam uolebat . Illa autem uociferando compes-
 cebat eum dicens : Vide ne facias abba Zosima : dum tu sis sacerdos et sancta portes
 mysteria : et hoc dicens transiit super aquas : peruenitque ad senem : et ait : Benedic
 me pater . Benedic me pater . Ille uero contremiscens ait : Certe scio : quod ueritas
 10 non fallit : quia sibi similes promisit quanta uirtus est eis : qui ad se mundo corde
 confugiunt . Gloria tibi Christe domine noster : qui me non fraudasti desyderio cordis
 mei : neque abstulisti misericordiam tuam a me : sed reuelasti mihi per hanc famulam
 tuam : quantum a me distant uiæ salutis uel integritatis . Hæc illo dicente petiit eum
 mulier sacratissimum sibi dicere simbolum seu dominicam orationem : Finitaque ora-
 15 tione dedit seni pacem : sicque sacrosancta mysteria sumpsit : Extendensque ad cælum
 manus dixit : Nunc dimittis famulam tuam domine secundum uerbum tuum in pace :
 quia uiderunt oculi mei salutare tuum : Dixitque ad senem : peto : ut aliud unum adim-
 pleri facias desyderium meum : et nunc quidem perge ad monasterium cum pace . uen-
 turo autem anno uenies in locum : ubi prius locuta sum : sed modis omnibus rogo te
 20 iterum et coniuo per dominum : ut uideas me : qualiter deo placuerit . ille uero res-
 pondens ait : precor te : ut concedas mihi : quod te in præsentem rogo : quatinus modi-
 cum gustare digneris de iis : quæ mecum attuli . Illa uero tria grana lentis aquæ infusa
 cum gratiarum actione percepit dicens : Sufficiat nobis spiritus sancti gratia : ut con-
 seruare possimus dei præcepta immaculate : Addensque ora pro me abba per dominum
 25 te coniuo : et mei memor esto . Ille uero iactans se eius pedibus dicebat : Ora inquit
 domina pro sanctis dei | ecclesiis uel christiani imperii incoluntate : atque pro me
 peccatore : et inuicem sibi uale dicentes signum sanctæ crucis faciens mulier Iorda-
 nem ut prius fecerat pedibus transiit . Senex uero regrediens repræhendebat se ipsum :
 quod nomen sanctæ mulieris minime requisisset . Transacto igitur anno ad heremum
 30 iuxta consuetudinem properare Zosimas studens ambulansque consueto numero die-
 rum ad locum peruenit mirabilem sperans aliqua sui desyderii signa reperire : Videns-
 que nullum ad se uenientem cœpit faciem lachrymis rigare dicens : reuela mihi
 domine Iesu Christe thesaurum tuum : quem fures furari non possunt : quem in hac
 heremo occultasti . Demonstra mihi corporeum tuum angelum : quem hoc sæculum
 35 non est dignum cognoscere . Dum hæc orans diceret : peruenit ad locum : qui quasi
 torrens fuerat : Viditque in parte illius torrentis ueluti solem orientem : ubi corpus
 sanctæ mulieris iacebat exanime pedibus ac manibus ita dispositis : sicut oportet dis-
 poni mortuos : respiciensque in partem orientis uidit eam Zosimas : et currens gradu
 concito eius sanctissimos pedes lachrymis rigare cœpit nullam aliam partem corporis
 40 uel tangere præsumebat : cœpitque opportunum psallere canticum : et orationem
 offerre sollemnem : secumque cogitabat dicens : Ego quidem sepelire uolebam corpu-
 sculum sanctum . sed timeo : ne sanctæ mulieri hoc displiceat . Hæc eo cogitante
 uidit litteras iuxta caput eius in terra descriptas continentes ita : Sepeli abba Zosima
 in hoc loco miseræ Mariæ corpusculum : et redde terræ puluerem suum : et ora pro
 45 me ad dominum : cuius præcepto missus es mense aprili sum de hoc assumpta sæculo .
 Repletus autem senex gaudio magno : eo quod per scripturam cognoscere eius nomen
 potuit certus factus : quia postquam ad Iordanem sancta dei perceperat mysteria :
 mox in eundem cucurrit locum : in quo uitam finiuit : Illudque desertum quod Zosi-
 mas per uiginti dierum spatia uix ambulauit illa sancta mulier una hora peragrauit :
 50 et ad dominum migravit . Tunc Zosimas intra se dicebat : Tempus est mihi adimplere
 præceptum sed quid faciam miserabilis : ignoro qualiter enim terram fodere possim
 omnino non || habeo et cum hæc diceret uidit paruum in terra iacens lignum quod
 accipiens cœpit cum eo terram fodere . Erat autem durissima et nullo modo fodie-
 batur . Laborabat Igitur senex perfusus sudoribus : et suspirans ex intimo cordis
 55 affectu : aspexit leonem magnum astantem iuxta pedes eius : et osculantem uestigia
 eius : quem ut uidit Zosimas tremefactus est recordatus sermonis Mariæ : quem dixe-
 rat : ut nunquam feram in eadem uidisset heremo : et signans se uenerabili crucis
 signaculo credidit quod non ei noceret leo propter uirtutem sancti illius corporis . Leo

autem cœpit innuere : ostendens se illi mansuetum . Zosimas uero ait ad eum : sancta hæc mulier præcepit hoc loco sepeliri suum corpus : et ego cum sim senex minime possum terram fodere : quia nec habeo ad hoc opus aptum ferramentum . Sed tu assume hanc operam : et fode terram : ut possimus sanctum sepelire corpus . Mox leo cœpit pedibus suis terram fodere ad suscipiendam corporis depositionem . Tunc deponens eam Zosimas : terra coheruit astante secum leone nudam : ut ante fuerat . nisi panno rupto quem ei Zosimas iactauerat ad corporis necessariam partem coherperiendam . Descendente uero utroque : leo quidem ut agnus mansuetus desuperum petiit : Zosimas autem regressus est unde uenerat benedicens et hymnum dicens deo : perueniensque ad monasterium omnia monachis narrauit : nihil eis abscondens de eis : quæ uiderat et audierat : quæ monachi audientes glorificauerunt deum cæli : qui tanta facit mirabilia . Magnoque cum honore anniuersariam celebrant depositionem sanctæ mulieris . Abbas autem Iohannes repperit aliquos in suo monasterio repræhensibiles necessariam habentes emendationem : quatinus uerba sanctæ mulieris adimplerentur . Habitauit autem abbas Zosimas in eodem monasterio uenerabilem ducens uitam glorificansque et collaudans dominum : qui se toto cordis desyderio quærentibus nunc ianuam aperire dignatur : et repletus desyderii uoluntate de hoc sæculo migrauit ad dominum .

PREFATIO SANCTI BERNARDI ABBATIS CLAREVALLENSIS : IN VITAM SANCTI MALACHIAE EPISCOPI .

20

Semper quidem opere pretium fuit illustres sanctorum describere uitas : ut sint in speculum et exemplum ac quoddam ueluti condimentum uitæ hominum super terram . Per hoc enim quodammodo apud nos etiam post mortem uiuunt : multosque ex his qui uiuentes mortui sunt ad ueram prouocant et reuocant uitam . Verum nunc maximæ id requirit raritas sanctitatis : et nostra plane ætas inops uirorum . Quam sane inopiam super nos adeo inualuisse uidemus : ut nulli sit dubium illa sententia nos feriri : quoniam abundabit iniquitas refrigescet caritas multorum . Et ut suspicor ego : aut presto aut prope est : de quo scriptum est : faciem eius præcedit egestas . Ni fallor Antichristus est iste : quem fames ac sterilitas totius boni et præit et comitatur . Siue igitur nuntia iam præsentis siue iam iamque affuturi prænuncia egestas in euidenti est : Taceo uulgus . taceo uilem filiorum huius sæculi multitudinem : in ipsas ecclesiæ columnas uoluo oculos leues . Quem mihi ostendas uel de illorum numero qui uidentur elati in lucem gentium : non magis de sublimi fumantem quam flammanem ? Et si lumen quod in te est inquit tenebræ sunt : ipse quantæ sunt tenebræ ? Nisi tu illos forte quod non credo lucere dixeris : qui quæstum existimant pietatem : qui in hæreditate domini non quæ domini sed magis quæ sua sunt quæritant : Quid dico quæ sua sunt ? Perfectus sit et sanctus etiam sua quærens : suaque retinens : si ab alienis cor manusque contineat . Meminerit tantum qui sibi usque huc forte peruenisse uidetur : eundem exigi sanctitatis gradum et ab ethnico . An non milites suis iubentur contenti fore stipendiis : ut salui fiant ? Magnum uero ecclesiæ doctorem : si sit sicut unus militum : aut certe quod ad illorum improprium propheta loquitur : si ut populus ita et sacerdos fuerit . oh deformitatem . Ita summus merito reputandus erit : qui summo corruens gradu hærebit infimo : ne abyssus absorbeat ? Quam rarus tamen iste ipse in clero . Quem item das mihi contentum necessariis contemptorem superfluum ? Lex est tamen prefixa ab apostolis apostolorum successoribus . Victum et uestitum habentes inquirunt his contenti sumus || Vbi forma hæc ? In libris cernimus eam : sed non in uiris . Habes uero de iusto : quia lex dei eius in corde ipsius : et non in codice . Nec perfectionis is gradus . Perfectus carere et necessariis paratus est . At gratis istud . Vtinam superfluis ponatur modus . utinam non cupiamus in infinitum . Sed quid forte reperias qui hoc possit ? Id quidem difficile . sed uide quid egimus . Quærebamus uirum optimum multorum liberatorem : et ecce laboramus in inueniendo : qui se ipsum saluum facere possit . Optimus hodie est : qui non est nimis malus . Vnde quoniam a terra defecit sanctus :

Serenus omnes simul iussit immenso pondere ruderum obrui in uia Aurelia . factum est autem ut hora qua ad passionem pergebant in eodem loco cum omnes christiani occurrerent sancto Marcellino presbytero et Petro exorcistæ : Videntes officiales tantum populum fugerunt : et euntes post eos iuniores de populo dei tenuerunt eos : et blandis sermonibus cœperunt hortari ad fidem . Illi autem dum nolent credere tandiu custoditi sunt a populo : quousque missas faceret sanctus Marcellinus presbyter in cripta : in qua puniendi uenerant sancti : at ubi completa sunt : quæ sunt dei : accessit sub presbytero om[ni]nis populis† : Cumque silentium factum fuisset : Marcellinus cum Petro steterunt dicentes ad eos qui credere nolebant : Ecce in potestate nostra fuit : ut læderemus uos : sed non facinus . In potestate nostra fuit ut tolleremus uobis Arthemium et candidam atque uirginem eorum : sed nec hæc facimus . Nunc autem in potestate nostra est faciente dei gratia ut abscedamus nec hæc facimus . quid uobis ad hæc . At illi feruentes in dei hominibus Arthemium gladio percusserunt Sanctam uero Candidam et uirginem per præcipitum idest per liminare criptæ iacientes lapidibus obruerunt . Marcellinum uero presbyterum et Petrum exorcistam alligauerunt manibus retro ad arborem : et reliquerunt : qui eos custodirent : quousque nunciaretur uicario . Cumque uicarius omnia quæ gesta fuerant cognouisset . iussit eos duci in sylum nigram . quæ hodie in honorem sanctorum sylvæ Candida appellatur : et in eadem ambos pariter decollari . Cumque uentum fuisset in mediam sylum ipsi sibi manibus suis mundauerunt locum a spinis : in quo orantes et dantes simul pacis osculum genu posito decollati sunt . hii autem qui decollauerunt eos : testificabantur se uidisse animas eorum exeuntes de corpore quasi uirgines ornatas gemmis et auro splendidissimis uestibus indutas : atque angelorum manibus subleuatas ad cælos per auras ferri gaudentes . Erant autem Lucilla et Ferimina christianissimæ fœminæ parentes sancti Tiburtii martyris : cuius nobilitas et in terris : et inter senatores magna fuit . et inter martyres magnificentior probatur in cælis : Hæc dum amore parentis martyris a sepulchro eius non recederent : et sibi construxissent cubiculum : atque ibi die noctuque perseuerarent : apparuit eis in uisu sanctus Tiburtius cum his duobus martyribus : et instruxit : quatenus ambularent : et corpora eorum de sylvæ auferrent : atque ibi iuxta se in inferiori parte in cripta sepellirent : quibus adiutorio fuerunt duo accoliti ecclesiæ romanæ . Hæc omnia Damasus cum lector esset puerulus didicit ab eis : qui eos decollauerunt : Ipse autem qui eos decollauit nomine Dorotheus publicam pœnitentiam gessit paganus sub sancto episcopo et omni populo indicans quæ udisset† : baptizatusque est in senectute sua : et per bonam confessionem peruenit ad mi[sericordiam] saluatoris : cui est honor et gloria in sæcula sæculorum Amen . Quorum corpora beatorum Marcellini presbyteri et Petri exorcistæ martyrum collegit Lucilla : et posuit in uehiculo noctu : et adduxit in uiam laucanam milliario ab urbe tertio : et sepelliuit quarto nonarum iuniarum . in pace Amen .

VITA SANCTÆ MARIAE MAGDALENÆ .

Quamquam per quattuor mundi climata fidelium connexionem propagata : sacratissimæ Mariæ magdalænæ insignia pio mutationis† exemplo sacrosancta celebret ecclesia : atque in beatissimorum euangelistarum scriptis ipsius deuotionis sedula famulatio perseueransque seruitus et ingens dilectionis feruor : ac illius sanctæ familiaritatis ministratio : et usque ad triumphum dominicæ passionis ineffabilis habeatur constantia : necnon et quæ in morte sui redemptoris etiam apostolis fugientibus egerit : quodque ipse dominus magni consilii angelus resurgens a mortuis primo ei apparuit : tamen utilitati legentium† consulentes : ea quæ de ipsius uirtutibus flosculis gemmarum more sanctorum elucidant paginæ scripturarum : et quodammodo sui iubaris impressione uernantes redduntur : compendiose prælibare curauimus : ut si cui forte non uacat sanctissimum pelagus ex ordine percurrere : in quo tante fidei continentur præconia : saltem hanc nostræ exiguitatis scedulam illius accensus desyderio legere non recuset . Fuit igitur secundum sæculi fastum clarissimis orta natalibus beatissima Maria magdalena : quæ ut asserunt patrum traditiones a Magdalo castello magdalene

nuncupata est : quam non solum sui generis dignitas nec non etiam patrimonii iura parentumque successus splendidam reddiderunt : adeo ut duplicatus honor nominis excellentiam circumquaque diffunderet . Solent autem apud homines plus diuinitum quam pauperum nomina scribi . Sed quia rerum affluentiam interdum uoluptas comes subsequitur : adolescentioris uitæ tempora lubricis supposuit regenda discursibus soluto pudicitiae fræno . Hæc est illa mulier : de qua Lucas scribit euangelista : quia erat || quædam mulier in ciuitate peccatrix : sed quia dilexit multum : dimissa sunt ei peccata multa : Et de qua Marcus ait : apparuit primo Mariæ magdalene : de qua eiecerat septem dæmonia . Sed quam pius et misericors dominus erga peccatores extiterit : in istius probatur perfectione : quæ non solum sui criminis meruit ablu-
 5 tionem : sed apostolorum consors effecta : illis destinata est dominicæ resurrectionis nuncia . Hæc autem postquam diuino afflata est spiritu mentis intuitum in se reuerberans : ac pristinæ uitæ detrimenta non sustinens : ut comperit dominum et creatorem totius humani generis in domum uenisse Symonis : qui non uenerat uocare
 15 iustos sed peccatores ad pœnitentiam : non ob suorum enormitatem scelerum de sui diffidens conditoris clæmentia : pretiosissimo accepto unguento ad Christum misericordiae fontem concito properauit gradu corruens ante domini uestigia : amaritudinemque cordis lachrymarum exaggerans fonte . Mox denique compunctionis flætibus sui saluatoris cœpit rigare pedes : capillisque suæ deuotionis tergere : et indesinenter
 20 osculis uere humilitatis confouere : ac mundissimo suæ dilectionis unguento perungere : quæ cum in tali deuotionis famulatu non esset repudiata : sed potius misericorditer suscepta : ausu denique familiaritatis confisa etiam alias super sanctissimum domini caput pretiosissimi liquoris effudit odorem : adeo : ut tota domus ex odoris fragrantia more aromatum redoleret . Nihilominus etiam compunctionis flammam ac
 25 dilectionis intinabat feruorem : ac si ipsis uerbis loqueretur dicens : O domine Iesu clémentissime tu qui scis omnia . et cordium inspector es uerus : qui non uis mortem peccatoris : sed magis ut conuertatur : et uiuat : tu ipse intelligis quid mei deposcant singultus : quid lachrymæ ab imo erutæ flagitent : quid meus amarus exoret gemitus . Peccatrix sum : immunda sum : omnium nefandorum criminum labe polluta . Sed
 30 quia meam ab annis prioribus contaminaui uitam : ad te dominum meum qui es uita recurro : ut me de baratri faucibus clémenter eripias : misericorditer liberes : potenter abstrahas : qui solus laborem et dolorem consyderas . Quid autem ex huius condilectionis professione consecuta sit : ipse dominus manifestat : qui Symoni indignanti : cur ad se mulierem peccatricem permitteret accedere : conuersus ad illam
 35 respondit inter cætera : Amen dico tibi : quia dilexit multum dimissa sunt ei peccata multa . Quam domini adeptam clémentiam Lucas euangelista describit . Illico posthabitis omnibus ita familiaris effecta est : ut ipsum non solum mente sed etiam corpore sequeretur de propriis facultatibus utpote ualde locuples uictum et uestimentum ei ministrans : et implens bifariæ domini præceptum dicentis : Qui mihi
 40 ministrat me sequatur . Mystice autem hæc beatissima mulier sanctam designat ecclesiam : quæ bene in domum Symonis uenisse dicitur et ab omnibus pristinæ uitæ contagiis curata : Symon enim interpretatur obediens . Et ecclesia Christi monitis et præceptis obediens pristinos decoquens anathematizauit errores : omnemque postponens idolorum spurciciam per aquam baptismatis suorum obtinuit ueniam delictorum . ac quotidie dominum sequitur non gressu pedis sed imitatione operis . Rigauit
 45 autem hæc mulier pedes domini lachrymis pœnitentiæ : et unguento piæ confessionis liniuit : quia ecclesia dominum Iesum Christum uerum deum et uerum hominem credens pro suis quotidie excessibus lachrymarum singultibus ipsius exorat ablu-tionem . Cumque assumptæ humanitatis mysteria digna reuerentia suscipit et prædicat : qua
 50 inter homines conuersari dignatus est : utique in pedes domini unguentum nardi pisticum id est fidele fundit : quæ loquitur in cantico amoris : Dum esset rex in accubitu suo : nardus mea dedit odorem suum : Hæc nimirum uerba iuxta litterarum manibus beatæ Mariæ magdalene compleuit ecclesia et quotidie spiritualiter non cessat implere in totam mundi latitudinem : cum gloriæ laudes referens creatori
 55 dicat : Deo autem gratias qui semper triumphat in Christo Iesu : et odorem suæ notitiæ manifestat per nos in omni loco : quia Christi bonus odor sumus deo : quæ cum sublimitatem diuinæ maiestatis quæ æqualis est illi cum patre : congrua religione et reuerentia confitetur et prædicat : et in quantum naturalis ingenii uigor superni

luminis illustratione sinit digna ueneratione recolit mentisque aciem ad || contemplan-
dam tantæ diuinitatis potentiam extendit et caput illius profecto pretiosissimo per-
fundit unguento . Quod uero Iudas contra hanc sanctissimam mulierem indignatus
dicitur effusione unguenti tanti : datur aperte intelligi : quia reprobi et infideles
contra sanctam ecclesiam quottidie sæuiunt et insaniunt : eiusque derogant religioni
ac deuotioni : uidentes per quattuor mundi plagas doctrina ipsius et exemplis diu-
nitate clæmentiam cunctis claruisse . Vnde et de hac sancta muliere quæ præuenit
ungere corpus domini : inquit ipse amen dico uobis : ubicumque fuerit prædicatum
hoc euangelium in toto mundo dicetur et quod fecit in memoriam eius . quod non
solum de hac sancta muliere prædicatur quod unxerit caput domini sed et ecclesia
quottidie sicut iam prælibatum est hoc etiam operatur in suis sanctis actionibus .
Bene etiam Maria magdalene dicitur . magdalum enim interpretatur turris : et signi-
ficat ecclesiam . Turris enim non solum sublimior sed et tutior domus est non facile
hostibus patens : Ac per hoc ecclesiam designat : quæ terrena deserens cælestia
desyderat pugnans inter spirituales nequitiâs : fortitudinem suam non sibi sed domin-
ocommittens[†] : orat cum propheta dicens : Esto nobis domine turris fortitudinis a
facie inimici . Hæc est illa turris fortis et inexpugnabilis : cui uoce sponsi in canticis
canticorum dicitur : Sicut turris Dauid collum tuum : quæ ædificatur cum propu-
gnaculis . Mille clipei pendent ex ea et omnis armatura fortium : de qua Salomon ait :
Turris fortissima nomen domini : ad ipsam currit iustus et exaltabitur . Sed quia
nominis interpretatione compulsi a superficie historię paululum discessimus : libet
intueri clæmentissime domni[†] familiaritatem erga beatam Mariam et sororem eius
Martham : ipsarum piæ deuotionis in omnibus famulatum . Legimus enim euange-
lista Luca narrante : quia intrauit Iesu in quoddam castellum et mulier quædam
Martha nomine excepit illum in domum suam . Et huic erat soror nomine Maria quæ
etiam sedens secus pedes domini audiebat uerbum illius . Martha autem satagebat
circa frequens ministerium : Vnde non solum contra sororem uerum etiam con | tra
ipsum dominum querelam assumit dicens : domine non est tibi curæ : quod soror
mea reliquit me solam ministrare ? Dic ergo illi : ut me adiuuet . At ipse qui non est
personarum acceptor sed singulorum merita subtiliter diiudicat : ut ostenderet melio-
rem esse animam quam corpus : et meliorem cibum spirituales quam carnalem : ita
et unius opus laudat : ut alterius non uituperet . Ait uero : Martha Martha sollicita
es : et turbaris erga plurima . Porro unum est necessarium . Maria optimam partem
elegit : quæ non auferetur ab ea in æternum . Spiritualiter autem hæ deuotissimæ
mulieres quæ susceperunt dominum in domum suam : duas significant ecclesiæ uitas
actiuam et contemplatiuam . per Martham : quæ circa frequens ministerium sollicita
erat : actiuæ uitæ labor exprimitur . Per Mariam uero : quæ sedens secus pedes
domini audiebat uerbum illius : et intenta aure percipiebat : contemplatiuæ uitæ
dulcedo designatur : cuius sapor quanto magis degustatur : eo amplius a rebus
uisibilibus et curarum tumultibus animus seperatur . Spretis enim omnibus tempo-
ralibus . sola mens cum solo deo esse desyderat : libet ei audire præcepta
cælestia : sicut hæc beatissima faciebat Maria : quæ sedens secus pedes domini
audiebat uerbum illius : et intentissima percipiebat aure . Et sic impletum est in
ipsa : quod olim per beatum Moysen dictum fuerat : Et qui appropinquant pedibus
eius : accipient doctrinam ipsius . quam gratissima etiam et dilecta apud conditoris
clæmentiam pro suæ deuotionis famulatu ac inextinguibili dilectionis haberetur
feruore : Iohannes euangelista manifestat : ubi quatruiduani Lazari uenerandam inau-
ditamque describit resurrectionem . Diligebat autem Iesus Martham et Mariam sororem
eius et Lazarum : Ac in consequentibus commemorat : quoniam uocata a sorore sua
cum ueniret ubi erat dominus : corruit ante pedes eius dicens : Domine si fuisses
hic : frater meus non fuisset mortuus . Iesus autem ut uidit eam plorantem : et iudæos
qui uenerant cum ea plorantes : infremuit spiritu et turbauit semetipsum : et
dixit : ubi posuistis eum : Dicunt ei domin eueni[†] et uide . Et lachrymatu est ||
Iesus : Manifeste suæ pietatis clæmentiam ex assumpta humanitate declarans : quando
pro ipsius doloris immanitate lachrymas non indignatus est fundere suæ compassionis .
Saluo tamen diuino mysterio germinis sublimitas atque sæcularis pompæ dignitas
beatæ Mariæ in hoc dignoscitur facto : quando iam in quatruiduani fratris morte tanta
nobilium et potentum multitudo iudeorum ad ipsius mitigandum confluxerat dolo-

rem : et nec passi sunt ad fratris tumultum sine sui præsentia eam properare dicentes : quia uadit ad monumentum : ut ploret ibi . Est denique hoc diuina procuratum misericordia : ut patrato domino tale tantumque miraculum multi afforent iudeorum : quatenus dum uiuus suscitatur in corpore : nonnulli resuscitentur in mente et essent
5 testes ac laudatores ipsius promptissimi . Vnde in sequentibus idem euangelista refert dicens : Testimonium ergo perhibebat turba quæ fuerat cum Iesu : quando Lazarum resuscitauit : et uocauit de monumento . Typice autem hæc mulier quattriduanum mortuum defflens fratrem sanctam designat ecclesiam : quæ pro illorum discrimine : qui
10 obnoxii tenentur sceleribus atque consuetudinaria mortalium labe : tumulati pessimæ opinionis famam ex suis egerunt corporibus : lugere non cessat . Omnes enim in Christo fratres sumus . Super Lazarum uero mortuum flere dicitur dominus : quando suæ miserationis respectu huiusmodi corda per conpunctionis gratiam uisitans ad pœnitentiæ lamenta inflectit . Hoc autem ipse agere dicitur : quod nos ut intentissime
15 perfaciamus : suæ inflammationis instinctu procurat . Tale est profecto et illud : Ipse enim postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus . Et sicut Lazarus post effusionem lachrymarum mirantibus turbis resuscitatur in corpore : ita et peccatores post conpunctionis lachrymas digna carnis maceratione peracta resuscitantur in anima . Ipso domino per prophetam pollicente qui ait : In quacumque die peccator conuersus fuerit : et ingemuerit : omnia peccata eius obliuioni tradentur : Sed his breuiter præli-
20 batis ad ipsius fidei constantiam atque feruentissimæ dilectionis ardorem necnon et ad ea quæ in passione domini specialiter ac familiariter peregerit : cunctis ammiranda imo magis | imitanda mortalibus perueniendum est . Nam hæc sancta mulier dominum secuta : sicut iam prælibati sumus : et de suis facultatibus largissime illi ac deuotissime ministrans : postquam uidit eum compræhensum ligatum flagellatum omnibus
25 subsannationibus et irrisionibus delusum : et ad ultimum pro salute generis humani in cruce positum : discipulis etiam qui prius dicebant eam : et moramur^t cum illo terga uertentibus : ipsa cum eo remansit : quia quæ arctius et feruentius dilexerat : nec a mortuo potuit separari : Et sic impletum est tempore dominicæ resurrectionis : quod olim per beatum Iob dictum fuerat : Pelli meæ consumptis carnibus adhæsit os
30 meum : et derelicta sunt tantummodo labia circa dentes meos . Quasi enim consumptus^t carnibus pelli os adhæret : quando discipulis fugientibus beata Maria magdalene cum domino perseuerante et tandiu permansit : quosque^t diuersis conditum aromatibus in sepulchro collocari prospexit . Inde autem mærens et nimio successa dolore recedens perspicue annotatum sui redemptoris habens locum sepulchri emit aromata :
35 et ipsa nocte quantum ualuit unguenta præparauit . Sabbato uero secundum legis mandatum siluit . Occidente uero sole quod supererat in præparandis unguentis operam dedit . Mane autem uel prima una sabbati cum adhuc tenebræ essent cum præparatis aromatibus uenit ad sepulchrum cupiens eius sacratissimum corpus perungere : quem uiuentem nimio dilexerat amore . Cum enim sexus fœmineus timidus
40 esse soleat ad ambulandum in tenebris : nihil ista timuit : quæ toto corde deum dilexit . Erat enim in ea porro perfecta caritas : quæ foras mittit timorem . Nam neque propter sui sexus fragilitatem neque propter metum custodum et accepto itinere declinabat : quousque ad sepulchrum domini intrepida peruenit : Cuius mulieris constantia in libro regum præfigurata est : quando allophylli arcam domini captam in
45 terram israel remittentes iunxerunt duas uaccas fœtas ad plaustrum uitulosque earum recluserunt domi . Et sic scriptum est : Ibant uaccæ in directum per uiam : quæ ducit Betsamis pergentes et mugientes : nec tamen ad dexteram neque ad sinistram declinantes . ita et beata Maria magdalena si || mul cum altera Maria cupiens sepulchrum domini inuisere quasi mugiens et gemens : quæ ad tempus domini sui præsentia priuata fuerat incedebat : imitabile exemplum omnibus præbens fidelibus : ut per uiam
50 dei ambulantes nec propter temptationem dæmonum nec proper^t curam parentum a ccepto itinere deuiemus : quia inchoantibus præmium promittitur : et perseuerantibus datur . Allegorice autem tenebræ erant in corde huius sacratissimæ mulieris : tamen ad domini uenit monumentum : quia resurrectionis eius ignara : uiuentem inter mortuos requirebat . Tunc uero sol in eius mente ortus est : quando non solum resurrexisset uidit : sed etiam credidit . Sequitur : Et uidit lapidem sublatum a monumento : Et quia corpus domini non inuenit : furatum credidit : atque quod uidit discipulis nunciavit . De hac enim ueraciter in canticis canticorum uoce ecclesiæ dicitur :

In lectulo meo per noctem quæsiui : quem diligit anima mea quæsiui illum : et non inueni . Surgam : et circuido ciuitatem : quærens quem diligit anima mea . Inuenerunt me uigiles : qui custodiunt ciuitatem . Nun̄ quem diligit anima mea uidistis ? Et factum est : cum pertransissem illos : inueni : quem diligit anima mea . Tenebo illum : nec dimittam : donec intromittam in domum patris mei : et in cubiculum genitricis meæ . Cucurrit namque : ut diximus hæc sancta mulier : et uenit ad Symonem Petrum : et ad alium discipulum : quem diligebat Iesus et dicit eis . Tulerunt dominum de monumento et nescimus : ubi posuerunt eum . At illi currentes uenerunt ad monumentum : et ita inuenerunt sicut mulier dixerat . Abierunt ergo discipuli : et reuersi sunt ad semetipsos . Maria uero stabat ad monumentum foris plorans . Considerandum est namque in hoc loco huius mulieris mentem : quantus amor domini accenderat : quæ etiam discipulis recedentibus a monumento domini non recedebat : Et quia ab inquisitione domini non cessauit : prima uidere meruit . Plorabat ergo : quia quem multum desyderabat non uidebat . Plorabat : quia de monumento corpus domini furatum putabat . Dum ergo flæret : inclinauit se : et prospexit in monumentum . Iam enim monumentum uacuum uiderat . et dominum de monumento furatum discipulis nunciauerat . Quid est enim quod iterum se inclinat . quod iterum uidere desyderat ? Sicut enim uerbi gratia cum quandam rem caram amittimus : quamuis huc illucque discurrendo quæramus : ad illum tamen sæpius locum discurremus : et respicimus : ubi eam posuisse meminimus : ita hæc sancta mulier quamuis huc illucque corpus domini quæreret : anxia tamen de eius absentia frequenter monumentum aspiciebat : ubi eum positum nouerat . Vnde et si dominum statim uidere non meruit : angelorum tamen uisione consolata est . Nam uidit duos angelos in albis sedentes unum ad caput et unum ad pedes : ubi positum fuerat corpus Iesu . dicunt ei illi : Mulier quid ploras ? quem quæris ? Interrogabant eam angeli : non ut quærendi minuerent desyderium : sed ut augerent . Sicut enim nos cum propter carorum amissionem flæmus : si quis flæt^t causas inquirat : magis ploratum accumulatur : ita et illi causas doloris interrogabant : ut flætus desyderii augerent : Scientes beatos esse lugentes : quoniam ipsi consolabuntur . Sed mulier cuius rei gratia flæret manifestat : cum subiungit : quia tulerunt dominum meum : et nescio^t : ubi posuerunt eum . Hæc cum dixisset conuersa retrosum^t uidit Iesum stantem : et nesciebat quia Iesus esset . Recte ut dominum merretur^t uidere conuersa retrosum^t . Qui enim retrorsum conuertitur : illum oculos dirigit : ubi terga habebat . Quasi enim conuersa retrorsum est : quando dubitationis postponens nebulas Christi resurrectionem experte credere cœpit : cui tamen dominus ita uisionem suam temperauit : ut quia amabat : sed eum resurrexisse non credebat : illum et uideret : et non recognosceret : Vnde et dicit euangelista : Illa existimans : quia hortulanus esset : dicit ei : Domine si tu sustulisti eum : dicito mihi : ubi posuisti eum : et ego eum tollam . In quibus uerbis consyderandum est : quantus amoris ardor mentem huius mulieris repleuerat : quæ ante quam personam eius significasset quem quærebat : quasi scienti loquebatur dicens . Si tu sustulisti eum : dicito mihi : ubi posuisti eum : et ego eum tollam . Habet enim uis amoris hoc proprium ut quem || quis amat : omnes se illum amare putet . Sed non in toto errauit hæc mulier cum dominum hortulanum existimauit . Sicut ad hortulani officium pertinet noxias tollere herbas : ut bonæ quæque proficere ualeant : ita dominus noster Iesus Christus de horto suo id est de ecclesia sua quottidie uicia eradica^t : ut uirtutes crescere ualeant . Cum uero sexus fœmineus fragilis sit ad onera deferenda : Hæc propter magnitudinem amoris leue et possibile arbitrabatur dicens : Si tu sustulisti eum dicto^t mihi : ubi posuisti eum et ego eum tollam . Dicit ei Iesus : Maria . Conuersa illa dicit ei Rabboni : quod dicitur magister . Dicit ei Iesus : Noli me tangere : Quia dominus superior mulierem eam appellauit : et et^t cognitum non est : uocauit etiam proprio nomine : ut saltem cognoscentem se recognosceret . Ait enim Maria . cum enim apud dominum certus sit numerus electorum : magna tamen gratia illis datur : qui propriis nominibus deo noti esse manifestantur : Qualis erat Moyses : cui a domino dictum est : Noui te ex nomine . quem mulier postquam proprio nomine a domino uocata est : statim cognoscentem se recognouit dicens : Rabboni quod dicitur magister . Hæc autem aiens illico corrui^t in terram uolens adorando tenere pedes eius recognoscens eum : a quo uocata est ex^t nomine : ab ipso cui a domino dicitur noli me tangere . Vbi non est putandum : quod post resurrectionem suam tactum

renuerit fœminarum : cum de duabus a monumento illius recedentibus dictum sit : quia accesserunt : et tenuerunt pedes eius : sed ideo eam a suo contactu prohibuit : quoniam eius mentem adhuc perfectam in fide non sensit : quando dominum uiuentem inter mortuos requirebat . Quare autem ab ipsa se tangi noluerit : manifestat :
 5 dum subdit : nondum ascendi ad patrem meum . Et quia me inter mortuos requiris ut mortuum . et non credis me æqualem patri secundum diuinitatem : noli me tangere . In eius quippe mente ad patrem dominus non ascendit : qui non credit eum æqualem esse patri . Et quia beata Maria nec dum perfectæ diuinitatis eius potentiam cognouerat : prohibita est tunc tangere pedes eius . Vade autem ait ad fratres meos :
 10 et dic eis : Ascendo ad patrem meum et patrem uestrum : deum meum et | deum uestrum . Venit autem Maria nuncians discipulis : quia uidi dominum . et hæc dixit mihi . Misericordissima domini pietas in hoc loco erga fœmineum genus declaratur : quia enim mors per fœminam in mundo illata fuerat : ne semper in opprobrium sexus fœmineus haberetur : per sexum fœmineum uoluit nunciare uiris gaudia resurrectionis
 15 : per quem nunciata fuerat tristitia mortis . Ac si diceret hominibus : De cuius manu sumpsistis poculum mortis : ab eius ore audite gaudia resurrectionis : Et sicut per beatam Mariam semper uirginem paradisi portæ nobis apertæ sunt : et maledictio Euæ exclusa : ita per beatam Mariam magdalena[†] opprobrium fœminei sexus deletum est : et splendor nostræ resurrectionis in diuina suscitatione exortus ab eius ore propinatus est : unde bene Maria interpretatur stella maris quæ interpretatio quamuis dei genitrici principaliter congruat : per cuius partum uirgineum sol iusticiæ mundo resplenduit : tamen et beatæ Mariæ magdalenæ potest congruere : quæ cum aromatibus ueniens ad sepulchrum domini prima splendorem dominicæ resurrectionis mundo nunciauit . Et si discipuli domini ideo apostoli uocati sunt : quia mittuntur ab illo :
 20 ut prædicent euangelium omni creaturæ : nec minus beata Maria magdalena quamuis ipsius contrarium sexui apostola non incongrue potest dici : quoniam sicut apostoli missi sunt : ut infidelitatem et tenebras ignorantie a mortalibus repellerent : ita ut[†] beata Maria magdalena ab ipso domino destinata est ad apostolos : quatenus dubietatem et incredulitatem suæ resurrectionis ab illorum cordibus remoueret .

30 Qualiter de hac vita transierit .

Licet plærisque relationis series prolixioris materiæ stilo mandata qualiter beata Maria magdalena diuina ordinante clæmentia cum sancto Maximiano mare transierit et in aquensem regni Prouinciæ regionem peruenerit : ueluti in ipsius sancti presulis
 35 curauimus ut ad quorum notitiam maiora non peruenerint : saltem ueritatis indaginem quærentibus hæc nosse sufficiat . Post dominicæ igitur resurrectionis gloriam ascensionisque triumphum || ac spiritus paraclæti de supernis missionem : qui discipulorum corda temporalis pœnæ adhuc formidine trepidantia repleuit scientiam omnium linguarum tribuendo : erant omnes credentes simul cum sanctis mulieribus et Maria
 40 matre Iesu : ut Lucas narrat euangelista et uerbum dei disseminabatur : crescebatque numerus credentium quotidie : adeo ut multa millia per prædicationem apostolorum uerbo fidei obedirent : suarum rerum contemptores effecti . Nullus enim inter eos aliquid proprium habebat : sed erant illis omnia communia : habentes cor unum et animam unam in domino . Inuidiæ ergo facibus accensi sacerdotes Iudæorum cum
 45 pharisæis et scribis concitauerunt persecutionem in ecclesia interficiendo protomartyrem Stephanum : et fere a finibus suis Christi testes omnes procul pellendo . Hac igitur persecutionis procella sæuiente dispersi credentes petierunt diuersa regna terrarum a domino sibi delegata : uerbum salutis gentibus propinando . Erat autem tunc temporis cum apostolis beatus Maximinus unus ex septuaginta discipulis uir uniuersa
 50 morum probitate conspicuus : doctrina pariter et miraculorum uirtute præclarus . Huius religionis sanctitudini beata Maria magdalena se contulit beatitudinis contubernio illi coniuncta : ueluti beata semper uirgo Maria sancto euangelistæ Iohanni : ut pote a domino sibi commendata : qua propter in præfata dispersione beata Maria magdalena illi sociata est : atque iter usque ad mare direxerunt : Ascendentesque
 55 nauim prospero cursu peruenerunt Marsilium . Ibiq; uegetationem nauis relinquentes domino annuente aquensem aggressi sunt comitatum : diuini uerbi sæmina cunctis

largiter erogantes : die noctuque prædicationibus ieiuniis et orationibus insistendo : ut populum ipsius regionis incredulum : nondumque fonte baptismatis innouatum ad agnitionem et cultum omnipotentis perducerent . Rexit autem aquensem ecclesiam beatus Maximinus confessor et pontifex diebus multis uerbo prædicationis inhærendo dæmones pellendo mortuos suscitando cæcis lumen reddendo : claudis gressum restituendo : omnium infirmitates ac languores curando .

Interea beata Maria magdalena contemplationis auida ad supernam hæ | remum petiit : et in loco angelicis manibus præparato per triginta annos incognita mansit : In quo quidem loco nec aquarum fluenta nec arborum nec hærbarum etant^t solatia : ut ex hoc manifestaretur quod redemptor noster ipsam non terrenis refectionibus sed tantum cælestibus epulis disposuerat satiare . Qualibet autem die septem horis canonicis ab angelis in æthera eleuabatur : et cælestium agminum gloriosus^t concentus corporalibus etiam auribus audiebat . unde diebus singulis hiis suauissimis dapibus satiata : et inde per eosdem angelos ad locum proprium reuocata : corporalibus alimentis nullatenus indigebat . Sacerdos autem quidam solitariam uitam agere desyderans : ad duodecim stadia loco eidem uicinam sibi cellam locauit . Die igitur quadam dominus prædicti sacerdotis oculos aperuit : et corporeis oculis euidenter aspexit qualiter angeli ad prædictum locum in quo beata Maria morabatur descendebant : et eam in æthera subleuabant et post hore spatium ad eum locum cum diuinis laudibus reuocabant . Volens autem sacerdos tam admirabilis uisionis ueritatem agnoscere : creatori suo precibus se commendans ad prædictum locum audaci deuotione prope-
 rabat . Cumque ad unius iactum lapidis propinquaret : cæperunt eius crura resolui et timore ualido ipsius præcordia medullitis formidare : Cumque retro rediret : ambulandi usum crura cum pedibus simul præbebant . Sed si uerso tramite ad prædictum locum accedere conaretur : totius eum langor corporis et hebetudo modis omnibus prohibebant . Intellexit igitur uir dei illud procul dubio cæleste esse sacramentum : ad quod accedere humanum non poterat experimenptum . Inuocato igitur saluatoris nomine exclamauit : Adiuro te per dominum : ut si homo es uel aliqua rationalis creatura : quæ in illa spelunca habitas : mihi respondeas : et tui edisseras ueritatem . Cumque hæc tertio repetisset beata Maria magdalena ei respondit : Acced epropius^t : 30 et omnium quæ desyderat anima tua scire poteris ueritatem : Cumque ille tremens usque ad medii spatii terminum propinquasset ait ad eum : Meministi ex euangelio de maria illa famosissima peccatrice : quæ pedes saluatoris lachry || mis rigauit et capillis tersit . et suorum ueniam delict orum^t promeruit ? Cui sacerdos : Memini : et plus quam triginta annorum euoluta sunt curricula : quod hoc factum esse sancta 35 credit et confitetur ecclesia . Ego inquit sum illa quæ per triginta annorum spatium omnibus hominibus ignota permansi et sicut heri tibi cernere permissum est : sic diebus singulis angelicis manibus in ethera subleuata celestium agminum dulcissimam iubilationem septenis uicibus per singulos dies corporeis auribus audire promerui . Quia igitur a domino mihi reuelatum est : quod migratura sum sæculo : beatum Maxi-
 minum adeas : et ei hæc studéas intimare proximo die resurrectionis dominicæ tem-
 pore quo ad matutinum surgere consueuit : oratorium solus ingrediatur : et me illic per angelorum ministerium inueniet consistentem . Sacerdos autem uoem^t eius uelut uocem angeli audiebat : neminem autem uidebat . Concitus igitur beatum Maxi-
 minum adiit : et ei omnia per ordinem enarrauit . Sanctus autem Maximinus nimio 45 repletus gaudio saluatori gratias immensas retulit : et illa die ac hora ut sibi uisum fuerat oratorium solus ingressus uidet beatam Mariam magdalenam in choro adhuc stantem eorum qui eam adduxerant angelorum . Erat autem spatio duorum cubito-
 rum eleuata a terra in medio angelorum stans extensis manibus dominum exoras . Cum autem beatus Maximinus ad eam accedere trepidaret conuersa dixit ad eum : 50 Accede huc pater propius : ne fugias filiam tuam . appropinquante autem illo sicut in ipsius beati Maximini libris legitur : ita uultus domine ex continua et diuturna uisione angelorum radiabat : ut facilius solis radios quam ipsius faciem intueri quis posset . Conuocato igitur uniuerso clero et sacerdote prædicto corpus et sanguinem domini ab episcopo beata Maria magdalena cum multa lachrymarum inundatione suscepit . 55 Deinde toto corpusculo ante altaris prostrata crepidinem sanctissima illa anima migrauit ad dominum : post cuius exitum tantus odor suauitatis ibidem remansit : ut per septem fere dies ab ingredientibus oratorium sentirentur : Cuius sanctissimum corpus

beatus Maximinus diuersis conditum aromatibus honorif | ce sepeliuit . Ft^t post mor-
 tem suam iuxta ipsam se sepeliri præcepit . Egisipus autem uel secundum quosdam
 libros Iosephus satis cum historia predicta concordat : ait enim in quodam suo tra-
 ctatu quod Maria magdalena post domini ascensionem pro ardore caritatis Christi : et
 5 tedio quod habebat : nunquam uirum uidere uolebat : sed postquam ad aquense terri-
 torium uenit : in desertum abiit : et triginta ibi annis incognita mansit : ubi ut ait
 qualibet die septem horis canonicis ab angelis in aera eleuabatur . Addit tamen quod
 dum sacerdos ad eam uenisset : reperit eam in cella clausam : quæ ad eius petitionem
 uestem sibi porrexit : quam induens ad ecclesiam secum iuit : et ibi communionem per-
 10 cepta eleuatis in oratione manibus iuxta altare in pace quieuit . Temporibus autem
 Caroli magni scilicet anno domini ducentesimo quadagesimo nono . Gerardus dux
 Burgundiæ cum de uxore sua filium habere non posset : larga manu res suas paupe-
 ribus erogabat : et multas ecclesias et monasteria construebat . Cum ergo uizeliacense
 monasterium construxisset : misit et ipse abbas ipsius monasterii monachum quendam
 15 cum decenti comitatu ad aquensem ciuitatem : ut inde si posset beatæ Mariæma-
 gdalenæ relliquias transportaret . Veniens igitur prædictus monachus ad prædictam
 ciuitatem : cum ipsam funditus a paganis destructam reperisset : quoddam inuenit
 sepulchrum : cuius sepultura marmorea demonstrabat : quod corpus beate Marie
 repositum intus erat . In ipso enim sepulchro hystoria eius miro opere sculpta erat
 20 Nocte igitur illud effringens assumptas reliquias ad hospitium deportauit . In ipsa
 autem nocte beata Maria magdalena eidem monacho apparuit dicens : ne timeret :
 sed ceptum opus perficeret . Rediens igitur cum ad mediam leucam a monasterio
 uenisset nullo modo inde reliquias mouere potuerunt : donec ueniente abbate et
 monachis cum processione honorifice sunt receptæ . Miles quidam qui singulis annis
 25 ad corpus beate Marie magdalenæ uenire consueuerat in prelio occisus est . Qui dum
 in feretro a parentibus ploraretur : magdalene piis querelis opponerentur cur deuotum
 suum mori sine confessione et pœnitentia permisisset . Tunc subito qui defunctus
 fuerat stu || pentibus cunctis surrexit : et sacerdotem ad se uocari præcepit : Cumque
 deuote confessus fuisset : et uaticum^t recepisset : protinus in pace quieuit . Nautis
 30 quedam uiris et fœminis honusta naufragium protulit : Vna autem fœmina cum esset
 grauida : et se in mari periclitari conspiceret . Magdalena quantum poterat inclama-
 bat : uouens quod si meritis suis ab illo naufragio euaderet : et filium pareret : ipsum
 eius monasterio condonaret : Statimque fœmina quædam specie et habitu ueneranda
 ei apparuit : quæ per mentum arripiens periclitantibus aliis incolumen^t ad ripam per-
 35 duxit . Ipsa autem postmodum filium peperit : et uotum suum fideliter adimpleuit .
 Aiunt quidam Mariam magdalenam sponsam fuisse Iohannis euangelistæ quam duxe-
 rat tunc quando Christus de nuptiis ipsum uocauit . ex hoc ipsa indignata quod scilicet
 sponsum suum sibi abstulerat : abiit et omni uoluptati se dedit . Sed quia con-
 gruum non erat : ut Iohannis uocatio damnationis sibi occasio fieret : dominus ad
 40 pœnitentiam misericorditer ipsam conuertit . Et summa dilectione spirituali quæ est
 in dei amore præ cæteris eam impleuit quod et de Iohanne quidam fatentur : quod
 ideo dulcedine suæ familiaritatis eum præ ceteris decorauit : quia a peccati eum dile-
 ctione remouit . Hæc autem a quibusdam friuola reputantur . Vir quidam eolorum
 lumine priuatus cum ad monasterium uizeliacum causa uisitandi corpus sanctæ Mariæ
 45 magdalenæ ueniret : et suus ei ductor diceret : se ecclesiam iam uidere : ille magna
 uoce exclamauit . O sancta Maria magdalena utinam aliquando uidere merear eccle-
 siam tuam : Statimque eius oculi sunt aperti : Quidam dum peccata sua in quadam
 cedula scripsisset : eam sub palla altaris beatæ Mariæ magdalenæ posuit rogans eam :
 ut sibi indulgentiam impetraret : Quam postmodum cedulam accipiens peccata sua in
 50 ipsa cedula omnino deleta inuenit . quidam dum ob pecuniæ exactionem in compedi-
 bus teneretur Magdalenam sæpe in sui adiutorium inuocabat : et ecce quadam nocte
 mulier quædam speciosa sibi apparuit : Quæ uincula frangens et hostium reserans
 sibi ut fugeret imperauit . Qui se absolutum uidens protinus inde aufugit .]

CORRECTIONES¹, VARIAE LECTIONES ET NOTAE

TABVLA SECVNDI VOLVMINIS

1, 32[†]) *lege* : fo. xxxviii. 34[†]) Iuliana. 4, 11[†]) fo. cccxliii. 40[†]) fo. cclxxxviii.
 45[†]) fo. xlviii. 2, 43[†]) fo. cl. 3, 5[†]) 44[†]) fo. cclxxxviii. 50[†]) *lege* : filius.
 Achilleus. 15[†]) Parmenius. 36[†]) fo. 5 56[†]) fo. cccv. 5, 2[†]) Tharsitius. 4[†])
 cxxi. 39[†]) fo. cxxi. 46[†]) Processus. Trophimus. 19[†]) fo. cccxiii.

PASSIO SANCTI HERMETIS MARTYRIS

Ex Martyrologio Adonis (die 28 Aug.), qui Gesta SS. Alexandri et sociorum copiose exscripsit (cf. supra, tom. I, p. 44). Contulimus cum editione Adoniana H. Rosweydi (Vetus Romanum... et Adonis Viennensis Martyrologium, Antverpiæ, 1613), p. 143 (= Ro).

6, 3) præfectus urbis Romæ] *Hermes in serie præfectorum Urbis non numeratur : cf. Borghesi, Œuvres, IX, p. 389.* 3-4) Scodera] Theodora Ro. 4) ducentos quinquaginta Ro. 5) *Aurelianum vocant Acta comitem utriusque militiæ, eumque dicunt missum ab Adriano principe de Seleutia Isauriæ ad ipsam interfectionem omnium christianorum. Hunc Ado fecit imperatorem (cf. H. Quentin, Les martyrologes historiques du moyen âge, p. 492, n. 1).* 7) est, vir illustris, ut Ro, *Gesta ut Mombritius.* 8) verum — feras] *Summa est hic varietas lectionum : verum etiam præfecturæ honorem in vinculis tanquam privato honori æquanimiter feras Gesta Mombritiana (I, p. 44), verum etiam præfecturæ tanquam privatum vinculis te onerari æquanimiter feras Gesta in recensione Henschenii (Act. SS., Mai. I, 371), verum etiam præfecturæ honore expoliatum, in vinculis te tanquam privatum trudi æquanimiter feras Ro, clarior equidem, sed longe tum a lectione Gestorum tum a lectione Adoniana Mombritii distans.* 14) annos illam deridebam Ro, *Gesta ut Mo.* 15) utilem esse Ro, *Gesta.* 19) vinculis habeo et in Ro. 29) filius in nimio lan-

guore positus Ro. 30) adductus a me et matre sua, et sacrificassemus Ro. 32) enim] eum Ro. 45) decollatus et via salaria vetere, etc.] *Non ita Ado, ex Gestis : Qui decollatus, a beata sorore sua Theodora collectus, in Salaria vetere non longe ab urbe Roma, sub die quinto mense Septembris sepultus est Ro.*

A sancto Hermete nomen accepit celebre cæmeterium viæ Salaris veteris, nuncupatum etiam Scæ Basillæ, seu SS. Proti et Hyacinthi. Pelagius II papa (579-590) fecit cymiterium beati Hermetis martyris (Lib. Pont., ed. L. Duchesne, I, 309); Hadrianus I (772-795) basilicas cymiterii sanctorum martyrum Hermetis, Proti et Iacincti atque Bassillæ miræ magnitudinis innovavit (ibid., p. 509). Cf. « Itineraria » apud de Rossi, Roma sotterranea, I, 176. Cæmeterium Hermetis recognovit Bosio (Roma sotterranea, 564-571). De eo cf. de Rossi, La cripta dei SS. Proto e Giacinto nel cimitero di S. Ermete (Bullettino, 1894, pp. 1-34); Armellini, Scoperte nel cimitero di S. Ermete (Nuovo bullettino, I, 1895, pp. 11-17); G. Bonavenia S. I., Cimitero di Basilla. Osservazioni intorno alla cripta... dei SS. Proto e Giacinto (ibid., IV, 1898, pp. 77-93). Memoriam sancti Hermetis agit Chronographus a. 354 : V Kal. Sep. Hermetis in Basillæ Salaria vetere, eodemque die martyrologium hieronymianum (B) : Romæ via Salaria vetere in cimitero Basillæ, Hermetis.

¹ Multa supra notavimus signo minusculæ crucis (†) typographorum menda. Ex his pauca tantum hic duximus corrigenda : ea nempe quorum vera lectio aut genuina scriptura dubiæ videri possent, aut non sine labore aliquo reperiri. Cætera prudens lector facile restituet.

In sequentibus numeri crassiores paginas, cæteri lineas designant.

750-753), *conferens cum codicibus manuscriptis, e quibus eruit capitulum integrum, de miraculis sancti Marcellini post mortem, quod Mombritio deest. Inde sequentia sumpsimus (= Bo).*

130, 35) digerere] peragere Bo. 36) opere desiderato Bo. 40) declararunt.] *Longius progreditur Prologus Bollandianus, ibique auctor innuere videtur se testes oculos vitae sancti episcopi percunctatum fuisse:* Imo et quos praecipue aetas veteranos pertraxerat; ex quibus nonnulli nonagenos aut fere centenos ducebant annos, una et consona voce id dedere responsi, hunc fuisse ac esse virum, cuius vitam praesens confirmaret gratia virtutum: et non difficile ea in veritate posse consistere, quae corpore indutus fuerit operatus, cum nova semper gesta priscum videantur semper renovare triumphum. *Cetera nullius momenti sunt.* 41) Ebredunensis, et supra: Ebredunensium, sicque deinceps Bo. 48) divino inspiramine Bo. 53) imbutam aratro dominice crucis prosicendo culturam, per diversas mundi partes iactus sancti seminis irrigabant, atque inter immensas alpium Bo. 134, 3) adoratione] admiratione Bo. 4) et in rudi campo Christi novellam frugem infatigabiles Bo. 6) nunc — ritibus] nunquam irritis Bo. 11) sacris] psalmis et Bo. 17) choros] cohors Bo. 24) Eusebium] « *Eusebe fut exilé en 355; il ne revint en Italie qu'à la fin de 362. Je crois que la fondation de l'église d'Embrun doit être placée plutôt dans la seconde partie de son épiscopat que dans la première.* » L. Duchesne, loc. cit. *Decessit sanctus Eusebius a. D. 373.* 23) sacerdotes Ecclesiae Domini per singulas civitates Bo. 25) *De beato Aemiliano episcopo Valentiniensi, cf. L. Duchesne, op. cit., p. 217.* 27) gratia cumulandum Bo. 31) condiscipulo Bo. 32) Diniensium civitati Bo. *Cf. laudatum auctorem, op. cit., 282: « L'église de Digne doit sûrement sa fondation aux deux saints Dominus et Vincentius, mentionnés dans la Vie de saint Marcellin. Mais il n'est pas démon-*

tré qu'ils aient été évêques. » 36) unaque om. Bo. 37) ut inseparabilis — dum tres Bo. 38) Ebreduni Bo. 40) plenitudo. Sed hoc beati viri permissu potius quam suo nisi sunt pr. ausu Bo. 41) alloquitur dicens: Ite — quoniam ipse Bo. 51) pr. dicta] perfidia dictam Bo. 55) ille cum all. provocaret — convivio quem optabat caeteris aggregari fidelibus; primum monuit Bo. 132, 3) Multa sunt quidem — operari, sed si Bo. 7) comminuitur Bo. 23) adornaveris Bo. 24) consecratur Bo. 28) in virtute multa Bo. 34) veredum — properare certat Bo. 39) o filii Bo. 40) vinum — oleum Bo. 47) accinctus — beati viri Bo. 48) Tunc a memorati Sancti p. evolavit Bo. 49) puerum] virum Bo. 55) ne talia repetatis ut ne talia Bo. 56) de preda] venenum Bo. 57) largitio — deberet Bo. 133, 3) consignatos ei veredos Bo. 5) Nam et a demone cuius hoc instinctu Bo. 8) non se] hunc Bo. 10) Qui cum — reniti non potuisset magis nec Bo. 12) ipsa satis torpentibus membris fila vitae laxasset Bo. 19) eloquium hoc ex Bo. sermonem] ignem Bo. 26) late] omnimodis Bo. 27) securi quia quaecumque — impetrasse se gaudeat Bo, qui haec verba intra parentheses includit. 29) manabit Bo. 30) tum] cum Bo. 36) sanitatem morborum Bo. 38) itaque om. Bo. 40) construendum Bo. 41) a civitate — cui Consanctio [al. Cusanctio] Bo. 47) Aut quomodo Bo. 49) Moysi Duci aperuit ut — peregrinam [ingressi] calcarent saxa profundi, et e contrario — demersit, ut populum — consortem condigna l. — praeconia liberarent Bo. 53) per mare Bo. 56) plantis Bo. 57) sustentasti, ut quid possit — persuaderes Bo. 134, 1) quis de] quæsumus Domine Bo. 3) inquit — deo om. Bo. 4) ecce et t. — resupinatusque amnis Bo. 10) sanatae — recipient Bo. 14) octo dies — Mais depositio venerabilium adimpleatur: Quod si quando pascha Bo.

VITA SANCTAE MARIAE AEGYPTIACAE

De origine et genesi textus graeci Vitae sanctae Mariae cuius hic interpretationem habemus, plura annotavit F. Delmas, Remarques sur la Vie de sainte Marie l'Egyptienne (Echos d'Orient, tom. IV, 1900, pp. 35-42); Encore sainte Marie l'Egyptienne (Ibid., tom. V, 1901, pp. 15-17).

Contulimus cum textu edito a Casinensibus, Bibliotheca Casin., III, Florileg., 226-235 (= Ca); pauca tamen inde sumpsimus. Pauciora adhuc accepimus ex recensione H. Rosweydi, Vitae Patrum (Antverpiae, 1615), pp. 382-392 (= Ro), quae a textu Mombri-

tiano nimis recedit.

134, 19) *Prologum habent Ro et Ca, quem om. Mombritius.* 22) Zozimam: qui — haereticus] Zosimam illum in praedicationis erroneae dogmatibus accusatum sectae alterius Ro, om. Ca. 29) in] ex Ca. 30) et ex longinquis ad eius Ca. 41) bene quidem et sicut possibile fuit homini decertasti Ro, bene quidem inter homines certatus es Ca. 43†) quas si vis. 49) namque] et manu Ca. 53) coniunxisti] advenisti Ro, Ca. 55) quidem veni Ro, quidem advenerim Ca. 135, 1) signa magna atque laudabilia Ca,

magnalia et laude digna Ro. 4) nisi — sociando] unusquisque autem semper se respiciendo et sobrietatem servando, atque operando quæ bona sunt, deum sibi propinquum facit Ca, nisi unusquisque attendat semetipsum frequenter, et sobrio intellectu, quod expedit est, operetur, Deum habens cooperatorem Ro. 7) si propter hoc ad nos venire festinasti Ca, si ob hoc venisti Ro. 10) homo] humi Ca, aliter Ro. 18) ut subsistere possent et deo Ca, om. Ro. 20) in deitatis — potentia] in servitio dei Ca, aliter Ro. 22) ieiuniorum præcedentium solemnitate Ca. 23) nullo tempore patefiebat Ca. 26) solum peregrinis sed Ca. 27) quia talis — custodiebatur] Canon autem talis a priscis servabatur temporibus Ro., om. Ca. 28) die prime ieiuniorum ebdomade — iuxta Ca. 33) genua ad senem seque — osculantes — abbati Ca, unusquisque genuflexo publice amplectebatur abbatem Ro. 39) absque veneratione — posponeretur Ca, absque divinis relinquerent solemnibus Ro. 44) Igitur — certabat] Et regulam propriam sibi unusquisque eorum prout poterat statuebat Ca, Canon autem unusquisque sibi ipsi Ro. 46) longe discedentes Ca. 56) præsens] suum Ca. 136, 2) Nam demonstratio hominum infructuosa opera et damnosa adquisit, Tunc Ca *vix clarior*, Illa enim quæ propter homines fiunt, et quæ ut hominibus placeant aguntur, non solum non proderunt

ficientibus, sed et per multa damna efficiuntur agentibus obnoxia Ro. 5) pannum quo Ca. 7) gustando somnum ubicumque eum Ca. 28) fatigiumque Ca. 137, 19) sæculi constabilitate Ca. 138, 16) luxuriosam exigere Ca. 18) adquirem Ca. 19+) egestatem pro. 26) ascensionisque Dominicæ veneranda loca adorare. Tunc respondi Ca, In Ierosolymam omnes ascendant ob sanctæ crucis exaltationem, quæ post aliquot dies solito celebratur Ro. 32) et pro certo nutrire me habent, vel si noluerint, corpus autem meum Ca. 34) voluptatis] voluntatis Ca Ro: ut multos haberem cooperatores in meâ libidinis passione. 139, 12) lumina] limen Ca: 18) limite] *Prob. leg.* limine. 19) militaris — sinebat] militaris acies contra me consisteret; non sinebar Ca. 39) lignum vivificæ crucis. Ecce promitto sanctissima virgo coram deo quem genuisti Ca. 40) sordidis Ca. 43) ac sequar quam demonstraveris salutis viam. Hæc dum dixissem Ca. 140, 2) Ergo] Ego autem Ca Ro. 5) de terris] atrium Ca, de atrio Ro. 37) fide victricem] protectricem Ca, *pro his Ro*: quæ me et in fide sua suscepit. 55) pluvis] *Leg.* pruvis; prunis Ca. 141, 43) tractus] attackus Ca. 142, 55) eius] sanctæ Ca. 143, 16) quærentibus misericordiæ suæ ianuam — et sic plenus dierum atque repletus d. sui voluntate Ca.

VITA SANCTI MALACHIAE EPISCOPI

Vitam sancti Malachiae episcopi Connorensis, dein Armachani in Hibernia, auctore sancto Bernardo abbate Clarevallensi, edidit Ioh. Mabillon (*Sancti Bernardi opera*, Parisiis, 1690, col. 657-692; cf. P. L., CLXXXII, col. 1073-1118), cuius textum contulimus (= Ma). Hanc editionem resumpsit Ios. de Backer (*Act. SS.*, Nov. II, 143-146), contulitque « cum quatuor codicibus bibliothecæ publicæ civitatis Trecentis, signalis numm. 426, 663, 799, 1176 », sæculo duodecimo conscriptis, quique olim fuerant cœnobii Clarevallensis. Consulatur *Commentarium prævium huius auctoris, præsertim a § II ad § IV, pp. 136-141.*

Vitam sancti Malachiae illustravit et commentario historico donavit E. Vacandard, *Un évêque d'Irlande au XI^e siècle: Saint Malachie O'Morgair (Revue des questions historiques, tom. LII, 1892, pp. 5-57). Docti viri iudicium de libello sancti Bernardi libet referre: « La Vie de saint Malachie est, avec le traité « De consideratione », l'un des écrits les plus achevés de l'abbé de Clairvaux. Son style y atteint un degré de pureté, de clarté, d'élégance et d'originalité que nul*

35 *écrivain de son siècle n'a surpassé. Mais ce qui fait le principal mérite de l'ouvrage, c'est l'abondance et la sûreté des renseignements qu'il nous procure sur la personne de Malachie et sur l'état de l'Irlande au XI^e siècle » (p. 49).*

40 143, 26) videmus] Sic cod. Trecentis 1176, sentimus Ma. 28) præcedet Ma. 33) elati] dati Ma. 34) ipse om. Ma. 35) æstimant Ma. 38) tantum] tamen Ma. 45 44) doctori Ma. 43) hærebit vix Ma. 144, 9) audita fuerit Ma. 48) abba Congane] *Haud immerito censetur Conganum illum esse primum abbatem Suriensem, de quo iterum infra (p. 165) sanctus Bernardus. 24) ortus] A. D. 1094 aut 1095. 38) puer Ma. 48) in omni loco ad cælum, ubi Ma. 53) comperite Ma. 55) pro] pio Ma. 145, 18) gloria mea est Ma. 29) expendero Ma. 32) Ardmacha Ma. 32) Erat homo] 55 *Nomen illi Imarus: « Imhar était un ardent promoteur de la réforme ecclésiastique et pressait le clergé d'Armagh d'adopter la liturgie et les usages romains... A son école Malachie prit des leçons de zèle et de dévouement au Saint-Siège. » (Vacandard, p. 8).**

autem ipsum in tenebrosa custodia solum
 Bo. 44) qui sanitatem nostræ Bo. 42)
 Numquid tibi Bo. 46) Utique ideo ma-
 gnificabitur deus eius et credendum illi erit
 Bo. 52†) virgo. ipsa Deum confessa, 5
 ante pedes eius corruens Bo. 180, 6)
 l. et omnes infirmi sanabantur Bo. 29)
 amitterent] ommitteretis Bo. 36) aquam
 ipsi negari Bo. 40) exorare deprecari pro
 te Bo. 43) sempiternis eris Bo. 44)
 cippo arctissimo Bo. 45) ut] et Bo. 54)
 vincit] inventi Bo. 58) imo] ideo Bo.
 181, 8) abscessit a presbytero omnis popu-
 lus Bo. 10) fecimus Bo. 24) Firmina
 Bo. 32) ab eo qui eos decollaverat, et
 15) postea Episcopus in eorum sepulchro his
 versiculis declaravit :

Marcelline tuos, pariter Petre, nosse triumphos
 Percussor retulit Damaso mihi, cum puer essem.
 Hæc tibi carnificem rabidum mandata dedisse,
 Sentibus in mediis vestra ut tunc colla scaret,
 Ne tumultum vestrum quisquam cognoscere
 [posset,
 Vos alacres vestris manibus mundasse sepulcra,
 Candidulo occulte posquam iacuitis in antro.
 Postea commonitam vestra pietate Lucillam
 Hic placuisse magis sanctissima condere membra.
 10) Hæc a textu Mombritiano avulsa credide-
 rim, alioquin non videtur cur Damasus hic
 pure nominetur. 33) sub om. Bo. 34)
 sancto Iulio episcopo Bo. 38) quarto no-
 narum iuniarum] Cf. mart. hieron., (B) :
 15) IV Non Iun. Via Lavicana miliario quarto,
 Marcellini presbiteri et petræ exorcista.

VITA SANCTAE MARIAE MAGDALENÆ

Sub hoc titulo opus triplex complectitur :
 1o) Sermo sancti Odonis abbatis pluries edi- 20
 tus : contulimus cum editione domni Faillon,
 qui plures inspezit codices (Monuments inédits
 sur l'apostolat de sainte Madeleine en
 Provence, II, 559-572 = Fa), — 2o) frag-
 mentum Vitæ brevioris apud eundem editæ,
 tom. cit. 433-436 = Fa), — 3o) fragmentum
 narrationis Legendæ aureæ, c. 96 [90], quod
 contulimus cum editione Th. Graesse (Dres-
 dæ, 1846 = Gr).

181, 42†) imitationis Fa. 47) apparue-
 rit Fa. 49) paginas Fa. 50) reddunt
 Fa. 182, 8) ait : Surgens Iesus mane una
 sabbati apparuit Fa. 24) redoleret; nihil
 ore depromens, sed per exterioris obsequii
 beneficia suæ compunctionis f. ac d. fervo-
 rem intimans, ac si Fa. 36) Quæ Domini
 adepta clementiam, ut Lucas Fa. 55)
 triumphat nos in Fa. 183, 4) illustratione
 perfusus sinit Fa. 4) pro effusione Fa.
 7) Divinitatis Domini potentiam et humani-
 tatis clementiam Fa. 10) et de Ecclesia :
 quotidie enim, sicut Fa. 22) clementissi-
 mam Domini Fa. 184, 9) cons. criminum
 mortalium Fa. 15) enim spiritus postu-
 lat Fa. 32) perseveravit — quousque Fa.
 42) neque propter magnitudinem lapidis,
 neque propter metum custodum a cepto

itinere Fa. 185, 17) inclinat, nisi quod
 Fa. 32†) mereretur — retrorsum dicitur.
 Qui Fa. 34) nebulas, tunc Christi r. ex
 parte credere Fa. 51) etiam] eam Fa.
 54) quam] Unde Fa. 57) eum, vocata est
 ex n. ab ipso. Cui Fa. 186, 19) divina]
 25) Dominica Fa. 26) ipsius videatur contra-
 rium Fa. 34) Licet] Fa, tom. cit., col. 436.
 34) tamen hac n. p. cedula aliquid edere Fa.
 36) Post dominicæ] Ibid., col. 433. 53)
 Domino ipsi commissa Fa. 187, 3) Dei
 30) omnipotentis Fa. 6) curando] Prosequi-
 tur Fa narrando breviter finem Magdalænæ
 et sancti Maximini, quæ compiler noster
 fusus exposita sumpsit ex Legenda aurea,
 ut sequitur (edit. cit. p. 413). 7) Maria
 35) M. supernæ contemplationis avida asperri-
 mum eremum Gr. 23) formidare] anhe-
 lare Gr. 25) totiens eum — hebetudo
 mentis modis Gr. 45) visum] iussum Gr.
 56) prostrato Gr. 188, 8) qui ad eius Gr.
 40) 17) reperisset, casu quodam — cuius sculp-
 tura marmorea Gr. 34) quæ eam per Gr.
 40) Et quia a summa delectatione carnali
 eam removet, ideo ipsam summa delecta-
 tionem spirituali Gr. 41) eam om. Gr. 42)
 45) quia a prædicta delectatione eum removet
 Gr. 44) vizeliacense Gr. 51) Mariam
 Magdalenam Gr.

DE QVADAM SANCTA MARIA VIRGINE ET MARTYRE

Ex Vincentio Bellovacensi, Speculum his-
 toriale, x [xi], 86, 87. Contulimus cum edi- 50
 tione Veneta, 1591, f. 134^v-135 (= Ve).

189, 2) Antoninum Ve 3) Antonino Ve.
 4) virgo. Ex Gestis eius. Hæc Ve. 8) in-
 sidiante Ve. 12) hæreditatis Ve. 14)
 indixit . ac] intentavit. Sed Ve. 19) 55
 quando] quin Ve. 20) lapsis] emensis
 vero Ve. 27) minaris nec longi temporis
 nec gravis doloris sunt, quæso ergo ne de-

seras quæ moliris, Christum Ve. 38) et
 multitudinem Ve. 39) Hinc] quæ Ve.
 48) erepta Ve. 49) frusta Ve. 190, 2)
 paterentur c. corruere, statim terra con-
 cussa est et nutantia omnium corruere vesti-
 gia. Ecce Ve. 4) petunt — omnis Ve.
 8) ad scelestæ Ve. 9) Nechorus ad Ve.
 10) exussit et templum. Multifariæ itaque
 mortis Ve. 13) Magnus deus Mariæ
 magnus — timore tria m. f. animæ Ve.